873

PAMFLET
779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

II M. 208

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

coll: 17 12/XI 58.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Callidii Campani.

ADMONITIO

AD ORBIS-TERRÆ PRINCIPES, QVI SE SVOSQVE SALVOS VOLVNT:

In primis

AD

Illuſtriſſimos Germaniæ Proceres.

Rerum Ab Hispanis Tyrannice Gestarum Brevis Narratio.

HERODOT.

Tyrannus *eſt animal timidiſſimum, ubi vis illi & magna & manifeſta intentatur.*

F. F. F.

ANNO cIↃ. IↃ. LXXXVII. menſe Iul.

W 672

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE 's HAGE.

779

C.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

AD ORBIS TERRÆ PRINCIPES, QVI SE SVOSQVE AB HISPANORVM TYRANNIDE SALVOS VOLVNT,

Admonitio.

RERUM AB HISPANIS TYRANNICE GESTARUM BREVIS NARRATIO.

Cúm omnino nihil eſt, quod ita Principem deceat & commendet, quám juxta præſcriptas Patriæ Regníque Leges & Inſtituta ſe ſuáque referre, & tueri: tum veró potiſſimúm, in potentia & poteſtate ſumma, ita animi affectus & impetus cohibere, ut nihil aliud, quám Legum rerúmque ſtatum ſtabilem & ſalvum, quęſiviſſe videatur. quod, ut in potenti & in fortunato Principe magnum eſt, ita & rarum: nam plerunque, QVANTO plus ſurgit & gliſcit imperantis potentia aut poteſtas, tantó Iura Legéſque minuuntur. Sapienter itaque & recté illi, qui minimé permittendum ducunt, ut Princeps, ubi Legibus agendum eſſet, imperio utatur. Felices igitur & ſtabiles illæ Reſpub. & Regna ſunt, & conſiſtunt, tum perpetuâ iuſtitiâ & pace fruuntur, in quibus Ius Legéſque ſummum dignitatis locum obtineant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

eúmq; tueantur. ubi autem Ius Legésq; hunc ſuum locum non obtinent, ibi nec Regni, nec Reipub. nec ullius humanæ ſocietatis facies, ſed cupiditas, barbaries, dominans illa ambitio & tyrannis conſpicitur. Vera hæc & præclara ſummi Philoſophi eſt ſententia, DEUM, nimirum, rebus humanis pręficere, qui Legem præficit; belluam autem, qui hominem. Tanta debet eſſe Legum vis & maieſtas, UT non ſit Princeps ſupra Leges, ſed, ut ille ad Trajanum, Leges ſupra Principem. neque ulla vox dignior & magis heroica ab Imperatore aut Principe excipi poteſt, quám, qua ſe LEGIBUS vivere & agere profiteatur. Tutum eſt, & ſemper regium, juxta Leges regere; quibus & Regis & Reipub. ſalus, ut firmiſſima baſi & fundamento innixa, integra, ſancta & inviolata conſiſtit: neque quidquam ita naturæ conveniens, quám, Legem ſummo loco præeſſe, & dominari. Bellum cum natura gerit, qui ſalutaribus Reipub. Legibus vim infert: rectéque is Tyrannus dicitur: nam nihil á natura ita diſſidet, quám Tyrannis; quæ ſocietatem á natura profectam, ordinémque vivendi & normam, quæ Leges ſunt, invertit & evertit. Dura maximé res eſt, & naturæ inimiciſſima, Tyrannis; quæ Legum, ſive rationum vincula, quibus humana illa ſocietas conſervatur, ſolvit & diſrumpit; Legúmque humanarum loco, belluinum ſervitutis jugum, tyrannicæ libidinis frenum ſubdit & injicit, liberámque vitæ & necis exercet poteſtatem. quæ intemperanti ambitione ſurgens, omnem cupiditatis libidinem, quacunque liceat via, ſemel, ſi modó fieri poſſit, explere contendit. Quo Ambitionis malo,

 quod

quod poteſt dici maius? Quæ via ad Tyrannidem illam vicinior & expeditior, quám, qua per Ambitionem pervenitur? Quod malum aut vitium altiús radices agit, quám ipſa Ambitio? Hæc illa ſcelerum & impietatum altrix Ambitio; qua Tyrannus ad omne tyrannidis genus raptus, jura, leges, virtutis et honeſtatis fines omnes deſpicit et tranſcendit: neque regium eſſe perſuadet, ubi non Legum & virtutum quoque Regem, hoſtem, victorem & everſorem ſe eſſe demonſtret. ô ſacra et deteſtanda, altiſſimis tyrannico pectori infixa radicibus, Ambitio! quę, ut inſatiabilis eſt, ita ſumma quęque, tamquam ignis et flamma ſemper petit, nec ullis finibus coërcetur. Quum igitur Ambitionis malum ſummum ſit, ex quo cetera ejus generis mala omnia profluant; et metuendum hoc etiam malum in tenuioris fortunæ et obſcurioris nominis homine, multó magis in potenti et eminenti viro, Principe, Rege (qui omnia, potentiâ, dominatu, opibus quibus valent, perturbare poſſunt) eſt extimeſcendum: neque ſolúm ſubditis, verúm etiam vicinis et finitimis Principibus (cúm ambitioſa Tyrannis, ut ignis et flamma, nullis finibus contineatur) magnopere formidandum. Quapropter omnium temporum Principes, qui ſe ſuósque ſalvos volebant, hoc Libidinis et tyrannicę Ambitionis incendium, ne ſerperet in eorum domos, civitates & regiones inuaderet, omni ex parte reſtinxerunt.

Quis hodie Chriſtiani orbis, vel potiús Orbis-terræ Principum unius Hiſpani imperioſum Dominatum ſurgentem & magis magíſque aſcendentem non videt? Quæ mundi pars huius potentiâ & immode-

ratâ, ut ita dicam, felicitate non commovetur? Quis aliquâ ſaltem ratione prædìtus unius huius dominandi Inſolentiam effrenémque Ambitionem non admiratur, odit, & tandem perhorreſcit? Et quis te, feliciſſime terrarum Prædo, cúm te ipſum libidinoſâ Potentiâ, terrorem & horrorem Orbis deſignes, non formidaret? Quis te tuámque, tum in primis Gentis tuæ naturam et ingenium (cúm pari adhuc, vel minori cum ceteris Principibus potentiâ Regnum tuum conſiſtebat) non perſpexit? Quis ex Veterum Scriptorũ monumentis, Gentis & Nationis tuæ, anguſtis tum ſe finibus continentis naturam non obſervavit? ubi *Inquietum* ingenium Hiſpanorum, *Auiditatem*, res *Nouas*, animi *Elationem*, *Iactantiam*, *Dominatum*, & *Ambitionem* deſcribunt: ubi iterum inferioris ętatis Authores hęc ſuis exemplis declarant; *Parcé* dare & largé accipere Hiſpanorum eſſe proprium: *Hiſpanos* ſemper aliquid in diſceſſu ſurripere: de Hiſpanica Natura veré poſſe proferri, *Non* miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo Hiſpana. quæ & multó magis ex Recentiorum ſcriptis videmus; & cum dolore, hodierno die, quo ſe inquieta & ambitioſa Hiſpanica illa Tyrannis efferat, omnes agnoſcimus. Quarum Gentium natura unquam, hac Hiſpanica, feruentior & magis furibunda indomitæ Ambitionis incendio, exſtitit? Videte Principes, & animaduertite. Videtis jam ad illos homines ſummam Regnorum rerúmque potentiam recidiſſe; quorum animus ut avariſſimus & ambitioſiſſimus non orbe uno ſatiatur; ſed orbes infinitos, ſi hos ipſa Natura condidiſſet, ad ſe raperet & devoraret. ita in his hominibus,

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

vel magis cupiditatum & ambitionum barathris, tam naturâ, quám ſurgente potentiâ comparata ſunt omnia. Graviſſima bella, graviſſima quæque moliuntur: nihilque (vt fieri ſolet, et nunc præcipué, dum Ambitione incenſa mens quieſcere non poteſt, et aliena cum injuria ſuam potentiam augere ſtudet) intentatum, inviolatúmque relinquunt. De inſatiabili Hiſpanorum regnandi cupiditate, furioſa rapiendi libidine, barbara & perpetua perdendi, trucidandíque voluptate, déque tenaci Mundi ſubigendi propoſito, (quod Mundi Cœlique Dominus deſtruat) dubitare quis poteſt? Teſtes, ſi requirimus, erunt ipſa Hiſpanica Natura, & Mundus ipſe. Natura, de qua paucis dictum, vt ambitioſiſſima, ſic & avariſſima, nullíſque incluſa finibus, gravis & inſtans teſtis eſt. Mundus veró, teſtimonia & exempla innumera ſuppeditat; quibus Dominis & Principibus ſuis cautum vult, ut advigilando, conſulendo & propugnando, ſe ſuósque in tempore defendant, ne tandem ab immaniſſimi unius Tyranni imperio & nutu miſeré ſe trahi patiatur. Quæ Mundi regio, aut pars improbos Hiſpanorum conatus in lucem non protulit? Teſtes ſeſe offerunt in primis Hiſpania, Prædatorum & Tyrannorum omnium domicilium, Regna Arragonenſe, Granatenſe, Siculum, Neapolitanum, Mediolanum, Noua India, Florida, Luſitania, & Belgicæ Prouinciȩ: in quibus omnibus infinita Hiſpanicæ Tyrannidis & nunquam exſaturatæ Libidinis erecta ſunt monumenta. atque hæc Regna & Prouinciæ prioris ordinis teſtes habentur. Accedunt his Anglia, Hybernia, Scotia, Gallia, Ger-

mania, Belgicíſque Prouinciis finitimæ ditiones & Reſpub. quæ Hiſpanicæ Ambitionis, Avaritiæ, Proditionis & ſceleris copioſi teſtes ſunt. His denuo teſtibus inducuntur & tertii ordinis teſtes, Dania, Suetia, Helvetia, Italia, Venetorum libera Reſpub. immo Turcia ipſa: quæ regiones mille artes, dolos, ſecreta conſilia, emiſſarios, mancipiáque Hiſpanica experiri cœperunt. In ſumma, nulla ſub ſole regio videtur, in qua miniſtri Hiſpanici non oberrent, ſtatum conſiliáque Principum explorent, & referant. Primúm ſciendum eſt, vix centum annorum tempus, quo Faſtus & innata Hiſpanorum Avaritia vehementer accreſcere cœpit, præteriiſſe. Nam poſtquam Ferdinandus Caſtiliæ & Hiſpaniæ Rex, Sarracenos aut Mahumetanos, qui ad annos feré octingentos Hiſpaniam occuparant, deviciſſet; atque Granatenſi Regno, urbe, tota denique Hiſpania ejeciſſet; ſané, non levem conſecutus eſt gloriam: qua ambitioſa Hiſpanica natura fervens, ut fomes ignem, ita Ambitione jam quaſi incenſa mens, ignem & flammam facillimé corripuit. Exardeſcens Ambitio ut magis aleretur, ſpecie Religionis, tamquam fomite magis accenditur. Iudæi enim, quos conſtat ab Hieroſolymæ excidio, Titi Veſpaſiani voluntate in Hiſpania vixiſſe, magno numero ejiciuntur: nonnulli, ut Chriſtianam fidem intelligerent & amplecterentur, á magiſtris & animarum præſidibus, ſeriâ admonitione & incitatione, inſtituebantur. Pia ſané videbatur hæc inſtitutio, niſi jam tum, ſub prætextu Religionis Chriſtianæ, alium finem Arrogantiæ & Ambitionis filii ſibi propoſitum habuiſſent. Si quidem ilico Dominicani, Monacho-

rum

rum genus in Hiſpania, pietate, conſiliiſque regiis & politicis habitum ſanctiſſimum, ſcholam & templum amicæ Inſtitutionis, in forum & tribunal ſęvę & ſanguinariæ Inquiſitionis, Sixti IIII. R. tum Pontificis operâ, transformarunt. quo nomine hi Monachi (qui furori & Ambitioni Hiſpanicæ ad celeriús Orbem impugnandum & incendendum, arma & fomitem miniſtrarunt) ut religioſiſſimi rerúmque politicarum peritiſſimi, magno cultu & reverentia hodie obſervantur. Et quamvis hoc modo inſtituta Inquiſitio, utriuſque tam Sacrorum quám Caſtellæ Regis authoritate, confirmata eſſet; nitidáque pietatis ſpecie ab omnibus commendata videretur; ab ipſo tamen Arragoniæ Regno approbata & recepta non fuit. Nam cúm Ferdinandus hanc in avito & patrio ſuo Arragoniæ Regno introducere conaretur; Proceres Regni modeſté, ut debebant, primúm intervenerunt: poſtea veró, cúm ad arma ventum fuerat, armis quoque reſtiterunt: affirmabant enim, ad deformandam & tollendam Regni Libertatē magis, quám ad Religionem repurgandam confirmandámque, ſpectare. Neque priús, quám multo occiſorum ſanguine tinctæ, Inquiſitionis ſanguine ſcriptæ, Leges, fuerunt receptæ. cuius rei & hodie multa Regni exſtant teſtimonia. Nec mirum eſt, eos ad ſudorem & ſanguinem uſque laboraſſe; poſtquam ſub Religionis nomine, liberé rapiendi, vaſtandi, occupandi orbis, tyrannicæque Ambitionis jam ima jaciebantur fundamenta. Apud Granatenſes quid actum ſit (Optimum quemque é medio tollendo; Civilia Procerum ingenia, ut Tyrannorum mos eſt, contemnendo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

& exſtirpando; Fidem jurejurando datam fallendo) ſatis notum exiſtimatur. Præterea, ſubjugatis & expulſis jam Mauris, inquietus & ambitioſus Hiſpanorum animus his limitibus non contentus (ut is jam dextro Marte confirmatior & formidabilior aliis nationibus apparebat) ad Italiam integris viribus domandam obtinendámque cupiditate ſua trahebatur. Et cúm Siciliam jam anté á Gallis diripuiſſent; eámque non ſine tyrannidis notis premerent; commodum hanc Italici belli locum & ſedem arbitrati ſunt Hiſpani. Regio inſuper Neapolitana, exuto hac miſeré Gallo, non ſine ſcelere in eorum venit poteſtatem: Legibus, Privilegiis, Optimíſque viris ſublatis, in Regnum ſervitutis Neapolitana regio fuit redacta. Hîc iterum ſe latiús potentia & Ambitio Hiſpanica extendebat. Ad hoc, Mediolanum, ſub prætextu opem ferendi Sfortiæ contra Gallos pugnanti, deſpecto & amoto Sfortia, ſibi vicit, ſubegit, tyrannicíſque Hiſpanorum præſidijs ſibi obtinuit. quo in loco hodie (cuius hereditas tot cruentis jactata litibus, nec ullis unquam immitis Fortunæ terroribus, ut Scriptor ille Italus loquitur, intermiſſa) tutiſſimum & perpetuum conſtanti Marti aſylum Ambitio Hiſpanorum videtur conſecraſſe. Quæ cum Italiæ pars horum arrogantiâ & cupiditate aut victa non jacebat, aut non perturbata conſiſtebat? Verúm hæc dicta ſunt brevibus. Alia jam præclara fortunatiſſimi Terræ Maríſque Prædonis facinora proponenda. Cúm nunc alté invaſerat Hiſpanorum animos regnandi cupiditas, nihil neglectum contemtúmque fuit, quod non avidé, quacunque

oblata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

oblata occaſione , avara illa Ambitio arripiebat. Iccirco, cúm iiſdem temporibus Chriſtophorus ille Columbus, vir non uno hoc noſtro Orbe toto , ut multi, ſed & altero quoque longé clariſſimus, admirabili ſtudio & deſiderio explorandi extremos maris receſſus, incitatus eſſet (ſiquidem non levibus ductus argumentis, longé remotas alias terras ad Occidentis tractum extendi ſibi perſuaſum habebat) Senatui Populóque Genuenſi patrio, conſilium ſuum proponit; ſpondétque, ſi navibus á Repub. inſtrueretur, ſe Herculis columnas prætervehentem, ad alias inſulas & terras incognitas tandem perventurum. verúm Senatus ſtultum & ridiculum propoſiti conſilium exiſtimauit. Ille tamen hoc non contentus, operam ſuam, Anglorum primúm, deinde Luſitaniæ Regibus, obtulit: á quibus & ridiculus habitus fuit. Tandem á Ferdinando Caſtellano (cuius animus finibus imperii extendendis, atque hoc ſub Religionis ſpecie, omnino jam ardebat) fuit exceptus: navibúſque dimiſſus, exſpectatione longé maiores inſulas & terras, Regis Caſtellæ nomine, Hercules ille primus detexit. Hinc Nova India, & veré Novus Orbis, ſtupendâ admiratione, ſe veteri Orbi præbet conſpiciendum. Hiſpaniæ Rex, ſpe jam longé maiora conſecutus, quantâ regnandi cupiditate inflammatus fuerit, faciliús cogitandum eſt, quám cuique exprimendum. Laboris omnis minimé hic impatiens, naves, arma, viros, ſumtus ſuppeditat. nec hoc novum· nam Ambitio omnes labores ſuperans ad ſummum ſemper tendit: cognoverat deinde, Fortunam rerum dominam, illis in Regionibus habitare; quam ſibi ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

propriam libidinoſus & Hiſpanicus Mars amplecti & conſtringere contendebat. Hiſpani ut avidi, Regionum amœnitate & fertilitate capti; in primis veró, flagitioſâ auri Cupiditate, ut & Avaritiâ, victi & excœcati; nihil, quod iis ſimile eſt, omittunt. ô tyrannica Ambitio! ô auri ſacra Fames! ad quæ nefanda ſcelera hos non coëgiſti? Quis, quibus in terris, tale quidquam vidit, audivit, atque unquam meditatus eſt? quis unquam hoſpites minimé feris Hiſpanis feros ita excepit? quis longâ navigatione jactatos & feſſos hoſpites, maiori benignitate, quám ipſi Indi ſuſceperunt? Sed tuam, Hiſpane, Ambitionem, Avaritiam, Tyrannidem novus ille Hercules magno cum dolore tulit, veteri notóque Orbi ſatis quoque detexit. Frenata ne fuit Hiſpanica illa Avaritia & Libido á præſidibus? minimé: nam & ipſi tyrannorum erant capita & præſides: qui arbitrati ſunt, *Niſi* priús vaſtatis, incenſis, occiſis & deletis omnibus, Hiſpanicam Naturam locum non habituram. Deducendæ igitur erant ex Hiſpania coloniæ: incolę ferro flammáque exterminandi. Quis nam hęc ſub Chriſtianæ Religionis nomine geri affirmaret? Sed veré ille ſentit, qui prodiiſſe hos diſcipulos ex Tarquinii aut Machiavelli ſchola judicat: hic, ut impiiſſimus & leviſſimus Scriptor, fundamenta veræ virtutis, regnandi cauſsâ, diruit. Simulare cum impietate, ſumma virtus huic eſt Philoſopho. Definit autem hic, ut breviter Tyrannorum Scholæ ſententias quaſdam colligam, *Pietatem* ſimulare debere Principem, licet pius non ſit: præterea, *Non* poſſe meliús provinciam aut agrum recens captum ſub imperio teneri, quám ſi, de-

ſi, deductis in eum coloniis, veteres incolæ pellantur; aut ita attritis premantur opibus, ut nulla vis ac rebellio ab illis metui poſſit: *Nullâ* ratione meliús civitatem ſubigi, quám ſi malis moribus impleatur: *Nullâ* ratione faciliús in fide & pace contineri ſubditos, quám ſi inopiâ & labore cohibeantur. Hæc omnia brevi tempore (ſi modó dicere liceat, quód malum diſcendo acquiratur) tyrannica natura addiſcit, multó magis Hiſpanica, quę hoc malo nata & imbuta dicitur: ita, ut veré hîc Hiſpanis acclamare poſſimus, Multi diſcipuli meliores ſunt Magiſtris. Pernicioſiús enim multó illi vixerunt, quám Tyrannorũ ille Formator unquam docuerit. Plurimi exſtant Scriptores, inter quos & Hiſpanicæ gentis clementioris naturæ homines, qui omnes, horrenda rerum geſtarum in India facinora enarrare non poſſe, ſæpiſſimé teſtantur; nec etiam ſi poſſent, velle omnium ſcelerum formas commemorare. Machiavellicæ, & Hiſpanicæ tyrannidis, ut Authorum verba ſonant, *Teſtes ſunt, Hiſpaniola, Cuba, Iamaica, San-Ioannis de Portu-divite, & Guanaxia inſula, in quibus (vel ipſis Hiſpanis Hiſtoricis teſtibus) ex quadrageſies centies capitum millibus, quibus olim habitabantur, vix hodie quingenti aut ſexcenti Indi ſuperſunt. Adeó ingentium etiam bellorum clades Avaritia ſuperat. Neque ullam feré gentium hodie video, cui iuſtiús quadret, quod Romanis quondam exprobatum á Britannis ſcribit Tacitus:* Raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terræ, & mare ſcrutantur: Si locuples hoſtis eſt, avari: ſi pauper, ambitioſi: quos non

NB. Machiavelly Tyrannum formator.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Oriens, non Occidens ſatiaverit: ſoli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiſcunt: auferre, trucidare, rapere, falſis nominibus Imperium, atque ubi ſolitudinem faciunt, Pacem appellant.

Alio loco, iterum alius Hiſtoricus hoc modo: *In ſumma hoc affirmo, quibuſcunque locis Hiſpani vexilla ſua & ſigna fixerunt, ibi ingentibus ſævitiæ exemplis editis, æterna implacabilis in ſe odii monumenta indigenis reliquiſſe.* Et rurſus poſt multa jam notata ſcelera, ita: *Vt veré quidem hic exclamare nobis liceat, ô quot Nerones, quot Domitiani, quot Commodi, quot Baſſiani, quot immites Dionyſii eas terras peragravere!* Indorum in Hiſpanos magna erat benignitas, qui exceptos non ſui ſimiles homines, ſed ab Iove é cœlo miſſos & immortales eſſe exiſtimabant: aurum, uniones, monilia tamquam in amicitiæ ſymbolum, avaritiam & cupiditatem ignorantes, Hiſpanis offerebant. verúm Ambitionis natura his non ſatiata: avarus enim ambitioſus Hiſpanus aurum omne ad ſe rapit, regiones, vitáſque omnium miſeré perdit. Quod cúm hic, qui æquior erat, admiraretur, & huiuſmodi geſta improbaret facinora, minimé inter eos ferebatur, ut qui Catholicæ Religionis hoſtis judicatus. dicebant enim *Se* Chriſti Dei filios; *In* ejus honorem geri omnia; *Iram* divinam Barbarorum hominum ſanguine placandam eſſe, ſceleratiſſimi Hiſpani ubique conclamabant: & ut Hiſtoricus, *Nomen Dei blaſphematur inter Gentes propter Hiſpanos.* Inauditæ Ambitionis & Avaritiæ nomine ſuppreſſo, Chriſtianam jactabant Religio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

gionem, quam in primis volebant propagatam; at hoc cum tali ſcelere: adeo, ut Indi Hiſpanicum & Papiſticum quod illi crepabant cœlum, infernum, carnificinam, malorúmque ſpirituum ſedem quodammodo appellarent. Neque his temporibus Religioni Romanæ ſuus defuit fucus & commendatio: nam, ut ambitioſa Tyrannis honeſto Religionis velo tegeretur, Alexander ille R. tum Pontifex, ſpecioſam, ut aiunt, Bullam conflat; qua Ferdinando & Iſabellæ conjugi, eorúmque ſucceſſoribus Novas has Terras donat: atque hoc agere motu proprio, nemine petente, ſed ex mera Liberalitate & plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, authoritate Omnipotentis Dei ac Vicariatus Ieſu Chriſti; & ſimilibus verbis, quibus bulla turgida eſt. Conflata hæc, inquam, Bulla eſt ab Alexandro Sexto, Romanorum Regibus Sexto Tarquinio & Nerone longé peſtilentiore; ut qui non ſolam Romam immaniſſimis ſceleribus oplevisse contentus, Novum etiam Orbem, novo ſcelere, ſuorum Hiſpanorum rapinis & libidinibus expoſuit. Sanctius longé & religioſius Romanis ſignis & bullis approbatum habetur inſtitutum: ut & antea confirmata inſtituta Inquiſitio á Sixto IIII. homine, ut ſcribunt, eadem diverſis dante, liberaliſſimo, Floralibus atque meretriciis virginibus dedititiſſimo, fuit introducta & obſervata. Hic ille Alexander VI. ſi modó Hiſtoricis & exemplis adhibenda ſit fides, inter nequiſſimos & ſceleratiſſimos, ter nequiſſimus & ſceleratiſſimus recenſetur: Erat & Hi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

ſpanus, ex Ambitione nimirum, Avaritia, infandáque Libidine conflatum monſtrum; qui motu, ut ait, proprio, nemine petente, has terras Bulla donavit. quod facilè credo. nam naturam, animum, ſententiam pariáque ſuorum Hiſpanorum ſtudia promovere conveniebat. & ſané admodum felix & opportunum tempus judicandum, quód illud ſub Hiſpanico tuo Pontificatu inciderit. Sed heus tu ſanctiſſime Pater: Quo jure aliis donas, in quod nullum unquam jus habuiſti? quid abſurdius donatione illa tua fingi poteſt? Sed hoc authoritate Chriſti & Petri tibi licet. Chriſto Terræ Cœlíque poteſtas data eſt, cuius tu vicarius es: libera igitur tibi, Cœlum Terrámque miſcendi, dandi, vendendi, perdendi eſt poteſtas. Petro claues datæ ſunt, cuius tu ſucceſſor es: libera igitur tibi rerum adminiſtratio. Taceo ad hæc: tum alias impietates & blaſphemias, quibus teterrima ſpelunca Capitolini Cerberi ejúſque obſceni latratus commendari & obſervari ſolent, prætereo. & cum illo Philoſopho & Theologo aures obturando, ad Deum converſi, exclamabimus, O bone Deus, in quæ nos tempora reſervaſti ut hæc audiremus? Satis jam piis & doctis conſtat, quibus litibus, fraudibus, ambitione, tyrannide, quám multo denique ſanguine piorum hominum & Principum, Roma illa tua, ut Caput & Aſylum latronum ſacrorum maneret, ſit defenſa, & ſtabilita tandem. Verúm tu ſanctiſſime, univerſalis, ſive Catholice nebulo, ſemel virtutes omnes, Deúmque ipſum rejeciſti. hæc de te ſatis. & velim, Omnes Scriptores ita de te ſcri-

bere

bere & loqui, ut nihil potiús quám pauca de ſceleſtiſſima & maximé ſacrilega tua Tyrannide referant.

Sed ad Avaritiæ & Tyrannidis Hiſpanicæ argumenta nos referamus. Invaſo jam ab Hiſpanis Peruano Regno, qualia hi Sævitiæ & Avaritiæ exempla reliquerint, non poteſt exprimi. Vbi, cúm potentiſſimum Attabalibam Peruanorum Regem acceſſiſſent, Cæſaris & Regis Hiſpanorum vires, miris modis extollunt. Itaque recté facturum Regem, ſi ſe amicum Cæſaris prębeat: ſi vectigalem clientémque ſe ei ſubdat. Quibus modis ita Rex: *Se ante omnia Orbis Monarchæ amicitiam velle: verúm ſe, ut liberum & Regem, ei, quem nunquam vidiſſet, vectigalem præbere, cum æquitate pugnare & honeſtate.* Ad hæc veró, quód dicebant, Authoritate Romani Pontificis, Dei vicarii donatas has eſſe Terras Caſtiliæ Regi, hac ratione (quæ & olim á multis Chriſtianiſmi uſurpata fuit Principibus) reſpondit: *Pontificem nimirum, inſigniter fatuum & impudentem eſſe eó facile prodi, quód aliena tam largé & liberaliter donet.* Sed Attabalibam, ut digni viderentur Scholæ Machiavellicæ diſcipuli, é medio tollere ſtudebant. Hic cúm mortis ſuæ inſtare videret tempus, mirum in modum novorum hominum Avaritiam, Ambitionem, & ſummam in primis Perfidiam execratus eſt. tandem laqueum cervicibus innexum cuneo ligneo intorquentes, fauces Regi eliduntur. Adeo non puduit iſtos ſubulcos cum Indiæ Rege tam fędo modo agere. ſed, ut ejuſdem Authoris verba, non ſine omine ac Dei nutu contigit, ut omnes qui de necando Attabaliba conſenſerant, poſtmodum infelicem vitæ exitum invenirent. At quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

hîc attinet referre omnium flagitioſiſſimorum ſcelerum modos, quibus Indi á monſtroſis his ſunt affecti? cúm parvus libellus unius *Bartolomæi Caſai*, Hiſpani Epiſcopi, maximo Mundo ſufficiat? cuius viri ſcriptum, ut hominis Romanę Religionis ſtudioſiſſimi, ad immaniſſimam Hiſpanorum Tyrannidem notandam, magno Principum Orbis bono, multarum gentium linguis prodiit. quod qui legerit, etiam ſi barbarus & ab hominis nomine alienus, ſi non lacrymis obortis, ſaltem magno dolore legiſſe teſtabitur. Quoties hic Epiſcopus exclamando, dolendo, miſerâ voce & affectu impiam Hiſpanorum in Indos Tyrannidem exprimit! quoties non inculcat, Hiſpanos, non Religionem, ſed Regionem; non Chriſtum, ſed aurum; non conſcientiam, ſed carnificinam; non ſcientiam, ut ſemper Tyranni ſolent, ſed barbariem; non cœlum, ſed infernum, quærere? quoties non Cupiditatem, & peſtilentiſſimam dominandi Ambitionem deteſtatur? quoties non, Hiſpanos fidem datam fregiſſe, immo Indis fidem nunquam ſervaſſe, proponit? & non hic ipſe, viginti ductus rationibus, Indos Hiſpanis minimé eſſe credendos, coram Cæſare, affirmat? Quæ incendia, quas plagas, interitus, horrendáſque peccatorum pœnas Hiſpaniæ obventuras, non denunciat? SED PECCATA peccatis accumulare, neque peccata, eſſe peccata cognoſcere, ut graviſſima illis Tyrannis pœna eſt; ſic tandem palám, coram toto Mundo, ſuis exemplis, Iuſtus, idémque Miſericors Deus pœnas eſt expoſiturus. cuius divina ira quó tardior, eó & gravior eſt. Atque hæc, ut plurimúm in Indiæ Inſulis, á perditiſſimis Hiſpanis

geſta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

geſta ſunt. Quæ jam inſuper á portentoſa eorũ Ambitione & Avaritia in illa maxima America & ampliſſima Terra continenti, cuius propter magnitudinem menſura vix exſtat, perpetrata ſint, & hodie perpetrentur, omiſiſſe præſtat, quám leviter attigiſſe. Ambitionis & Avaritiæ Hiſpanicę in Florida proferuntur exempla plurima: quæ, ut brevior ſim, ex Brevi Hiſtoria, quę eſt de Expeditione Gallorum in Floridam, & clade ab Hiſpanis non minús injuſté, quám immaniter ipſis illata, ſunt repetenda. quo in libello Author, de edendi conſilio & fine agens, ita ait: *Et hoc quidem per me occultum ſepultúmque maneret, niſi Hiſpani plura atque atrociora, & pridem & hodie in Belgio (de quibus paullo póſt agendum eſt) perpetrarent, quám quæ apud Indos unquam edidere.* Cedit nunc Gallus Hiſpano, quum hic olim Gallo cedere cogebatur. ita nunc miſera Gallia Hiſpanicis pręſidiis circumvallata; intus, ut infrá patebit, ſeditioſis proditoribus ita incenſa, ut ad priſtinam libertatem & potentiam ne adſpirare quidem poſſe videatur. ô quanta rerum, temporúmque mutatio! Ad ceteros acquirendi modos, quibus effrenis & Hiſpanica Ambitio utitur, pergamus. Regnum Luſitanorum, quo modo, fraude & impietate occupaverit, vel potiús brevi tempore abſorpſerit, videte. Cúm Sebaſtianus Luſitanorum Rex, excelſi quidem ſpiritus adoleſcens, verúm bello non neceſſario ſeſe implicans, Muleium Mahumetum á fratre Regno Africano expulſum reſtituere niteretur; atque ut meliús rem expediret, ab avunculo ſuo, Hiſpaniarũ, ſcilicet, Rege juſtam operam opémque petit. Profectó, quid hac occaſione Hiſpania-

rum Tyranno potuit eſſe exſpectatius ? Nam, cúm omnem antea regnandi cauſſam inexpleta Ambitio non neglexerat, hanc, ut longé exoptatiſſimā avidiſſimus Orbis Raptor præteriret ? Quid multis: operā opémque promittit : Inſtructas naves bellicas quinquaginta, militum millia quattuor ad Expeditionem Africanam adornat. Solvens Lisbonâ Sebaſtianus, in Hiſpaniam appulit : addictas ſibi copias ibi moratur. verúm Hiſpanię Rex (ut rumor aulicus ferebatur) præ metu Turcæ arma jam moventis, domi copias claſſémq; militarem retinebat: pervulgavítque, Ne quis Luſitanorum agmini ſe adjungat. Nihilominus tamen Sebaſtianus Rex, ut magnanimus, ſumtus apparatúſque bellici memor, cum Mauris confligere laborabat. quod ita fieri ambitioſus Hiſpanus, ardētem pugnâ Luſitanum Neoptolemum intuens, iam anté perſuaſum ſibi habebat. Sebaſtianus itaque Hiſpaniâ ſolvit: in campos Africanos exercitum inducit; caſtra in hoſtem dirigit; Marte auſpice manus cum Mauris conſerit: Maurorū manu ſuperatus, occiſus fuit Sebaſtianus. ó ſolem Hiſpaniæ gratiſſimū, quo Rex juvenis ante tempus occubuerit. Minimé Hiſpanum ſpes fefellit, hac via Luſitaniam Hiſpaniæ adjungendam. & veré dici poteſt, Non Maurum, ſed Hiſpanū viciſſe, occidiſſe Luſitaniæ Regem; ejúſque ſpolia ampliſsima reportaſſe, & triumphos peregiſſe ſplendidiſsimos. Mortuo Sebaſtiano, aliis juxta juris ordinem non exſtantibus, ſucceſsit Henricus Cardinalis, frater Ioannis III. Luſitanię olim Regis. Henrico jam mortuo, filius, ut probatum, legitimus Ludovici, qui Henrici erat frater, ad Succeſsionem vocatus;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

catus; &,quod potiſſimúm, Procerum Populíque Electione inſtitutus. eſt autem hic D. ille Antonius, qui per tot diſcrimina & labores ſervatus, & Regno indigné expulſus, toto orbe notiſſimus eſt. Cúm Henricus Rex maturę eſſet ętatis ſenex, & longiori tempore Regno ſupereſſe non poſſet, nihil ita, ut & Proceres, in votis habebat, quám de ſalute & tranquillitate Regni poſt mortẽ ſuam agere. Vocati igitur, qui ex alicuius legis ordine ad Succeſſionẽ venire putabantur: inter quos & Hiſpanię Rex; qui ad Ordines Luſitanię, hac ambitioſa, ut Hiſpanũ decet, oratione reſpondit: **Se in terris nullũ habere iudicẽ, quã Deum.** Luſitani ſentientes Regni Succeſsionem graviſsimis litibus eſſe ſubjectam (D. Antonio interea teſtimonia & documenta, quibus ſe legitimum probabat, plurima producente) ſtatuerunt ſibi ex maſculina linea Regem eligere. Ad hoc Populus, poteſtatem & jus eligendi Regem, longámque ſeriem Regum á Populo electorum, Regi proponit: quo Iure Populus ductus inſtabat, hoc caſu, Regem eligendi Ius vocatorum jure potius eſſe & ſuperius: deinde Lex, quę patriâ linguâ, *la Ley Mental* dicitur, qua feminæ á Succeſsione Regni arcebantur, prolata fuit: jure igitur vocatos á línea feminina deſcendentes, excepto uno Antonio, amoveri. Hæc, & huiuſmodi dum geruntur, moritur Rex Henricus. Hiſpanus nunc, qui certam prædæ ſpem, mortuo Sebaſtiano, conceperat, minimé hanc amittendam ratus (qui jam numeroſas militum copias, ſub prætextu domandi Barbariam, contraxerat) Iuris ſententiâ nondum dictâ, Luſitaniæ fines, Albano illo duce, furore Hiſpanico

 &ce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

& celerrimâ expeditione invadit. Finium veró Luſitaniæ pręſides Regem Hiſpaniæ, ut Iuris ſententiam exſpectaret, faciebant certiorem; ſecus, juxta conceptam formulam, jus ſuum amiſſurum. At Hiſpanus qui nullum jam in terris judicem cognoviſſet, nobiléſque quoque cauſſæ judices corrupiſſet, Marte judice, ferro nimirum ſuum Regnum faciendum eſſe, contendit. Proceres Populúſque Luſitaniæ Antonium Regem ſalutant, ei Regnum offerentes: quod Antonius (poſteaquam ſub Iudice Regnum ſtabat) ſuſcipere negabat: ſe tamen defenſorem & propugnatorem ad omnia extrema, pro ſalute Reipub. pollicetur. Populus nihilominus, jure quo nitebatur, Hiſpanum Regni invaſorem rejiciendo, Regem creat Antonium, Præſidum, Nobilium, Eccleſiaſticorum & exterorum applauſu; omnibúſque iis modis, quibus Rex novus ſolet, eſt exceptus, & confirmatus: idem & apud Inſularum Africaniq́ue tractus Populum pro Rege agnitus, & proclamatus. Hiſpanus felici belli ſucceſſu exſultans, Regem Antonium, modis hoſte indigniſſimis, proſequitur; Regnúmque, ut maximé armato & compoſito Marte, priuſquam Luſitani arma colligerent, viróſque contraherent, occupavit. Quæ præda avariſſimo Hiſpano unquam potuit eſſe acceptior? Nunquid Luſitaniam, florentiſſimum & potentiſſimum Regnum, brevi tempore, Hiſpanica Avaritia ac vorago deglutivit? nunquid Inſulas, Africani tractus Portus, longiſſimóſque maris receſſus ferventiſſima illa Charybdis abſorpſit? Conſiderate ſummam Hiſpanorum potentiam, quorum vires &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Regna hîc inter ſe conjunguntur. Rebus jam ab Hiſpanis feliciter geſtis, ii, qui in Iudicio, qui privatim & publicé Regi fidelem navarant operam, libellum ſupplicem edunt, quo Rex ſtudia & merita in ſe collata intelligeret; eáque liberalitate & præmio, ut par erat, compenſaret. Libellus á Rege ad Senatum, qui Luſitanis *Meſa de Conſcientia* dicitur, eſt delatus: ad quem á Concilij Patribus hac ratione reſponſum: *Poſtquam Hiſpaniæ Rex verus eſt Regni Luſitaniæ heres, minimé Libelli exhibitoribus licitum fuiſſe, Regnum muneribus, aut promiſſis vendere; verúm hi, contrá, capitis pœnæ obnoxii, quód Regnum prædictum Hiſpaniarum Regi ex libera voluntate, muneribus, aliiſque ſimilibus modis deſpectis, non tradiderint. Præterea, ſi Regnum D. Antonij fuiſſet, æquum non erat, Hiſpaniarum Regi hoc vendere. Quare Rex nullo modo obſtrictus promiſſis, quæ Libelli exhibitoribus á Legatis edita ſunt. Rex nihilominus prædictos hos exhibitores capitis pœnâ liberat, iis, iuxta ſuperiora, debita.* Præclara certé hæc & regia, verúm digna talibus proditoribus, liberalitas, maximéque Hiſpaniarum Tyranno uſitata. Amici Tyrannidis, promiſſis & beneficentiâ Tyrannorum freti, hoc, & ſimilia, quæ infrá notanda ſunt exempla ſubinde repetant.

Ad Belgium, diuturnis & cruentis bellis miſerrimé commotum & afflictum, nos nunc convertamus.

Anni plus quám viginti elapſi ſunt, quibus Belgicæ Provinciæ Avaritiæ & Ambitioni Hiſpanorum expoſitæ, indigné & flagitioſe laceratæ ſunt, & deprædatę: neque ulla putatur eſſe Chriſtiani Orbis regio, quę non Belgium, continuis bellis agitatum, reſpiciat; eiúſque fortunam & caſus aut non evolvat, aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

cum dolore audiat, aut tandem horreſcat. Tam multa enim & varia in Belgicis Provinciis contigerunt, ut harum calamitas etiam externę orbis regioni nota eſſe debeat. Eſt autem Belgicarum Provinciarum Populus, ut Hiſtorici, mitis, benignus, Legibus Privilegiíſque ante alias nationes nobilis, earum quoque ſtudioſus cuſtos; eſt & patientiſſimus, Principibus uerò ſuis fidiſſimus; quos variis etiam, ut liquet, temporibus, omni ſtudio propugnarunt. Fatetur hoc Carolus ille non Magnus ſed Maximus Imperator; idémque hoc filius Philippus hic Hiſpaniarum Tyrannus, nolit velit, fateri convincitur. Quis, quæſó, unquam inter patrem & filium, tantam naturarum credidiſſet diverſitatem? Sed Philippi Belgas Tyrannide prementis res actas, pro tempore, referamus. Poſtquam Hiſpanica avara illa Ambitio, nullis coërcita terminis, exſatiari non poteſt, quodlibet, ut rapax flamma, ad ſe trahit: & quó Ambitionis illa flamma ferventior, eó rapacior & avara magis. Quapropter Hiſpaniarum Tyrannus, Libertatis & Pacis Belgicæ infenſiſſimus & apertiſſimus hoſtis, primúm miras artes & conſilia, in Belgas ſine lege dominandi, excogitat; habens in primis rationem temporis, quo aliqui Luterani, ut vocant, Pontificiæ religionis hoſtes, enaſcebantur. Nihil huic Tyranno, ut Tyrannis omnibus, familiarius, quám ſub Violatæ Religionis & criminis Læſæ Maieſtatis prætextu, rapiendi, vaſtandi, ſanguinem effundendi libidini ſatiſfacere. turpiſſimum enim hic Tyrannus & minimé regium eſſe putavit, ut tot Regnorum Dominus, Belgas, populum optimum, qui Tyranno ſemper eſt peſſimus,

ſimus, deletis Libertatis Legibus, ſub jugum Hiſpanicæ ſervitutis non mittere. Inſpiciebat etiam Belgicæ Prouinciæ ſitum, commoditatem, &, præ ejus anguſtia, potentiam ſummam: quibus capta avara Ambitio, ſperabat (Belgicis Provinciis pro libidine ſubactis) facillimè vicinas regiones, Regna, liberáſque Reſpub. imperioſâ potentiâ ſe poſſe opprimere, ſuæque voluntatis vinculis frenare. Summa Belgarum felicitas, ſumma huic erat invidia & dolor. Et ne minimę prędandi occaſioni defuiſſe diceretur; Iam Populi Belgici Leges & Provincias nimis varias eſſe & diſtinctas, jam Iura, Privilegia, Libertatem, Potentiam, Opes, cum exteris agendi & commercandi Conſuetudinem eſſe nimiam, conquerebatur. Verùm omnia hæc, ſplendiſſimo Religionis velo, obſcurare & tollere, ſemel, & ſemper conſtituit. Hinc Novorum Epiſcoporum ſedes definiuntur: quibus jam firmatis, univerſam Provinciam, inſtar Siciliæ & Neapolis, in Regni formam, Patriæ legibus everſis, redigeret. Vt etiam eſſet Epiſcopalibus ſedibus ſolidum firmamentum & ſuſtentaculum; tum, ut hæ quoque pontificiis ſuis atriis, conſiſtoriis & præcipuè culinis adornatæ & ſplendidæ conſiſterent; exactâ, Inquiſitoriâ nimirum chorographiâ Belgicæ Abbatiæ, Monaſteria & Collegia, quæ maximè Romani & Hiſpanici juris culinis horum Epiſcoporum ſua fomenta adminiſtrarent, deſcribuntur. Qua delineatione, quidam, ut ſemivir leviſſimus, ſic & glorioſiſſimus, Regium Oratorem ſe appellando, Romam, Paulo IIII. Pont. contendit. Proponenda proponit Orator hic Regius. Res diſcutitur, ut pia peragi-

tur: ſedes Epiſcopales & culinę hoc modo deſcriptę, approbantur: ſubſcribitur tandem, *Fiat ut petitur*. Reverſus Orator proſperæ Expeditionis laudem á ſuis conſequitur. Concepta Hiſpanorum, illorúmque Romæ Definita, omni labore exſequi aggrediuntur. Proceres, Populúſque ſua Libertate & Privilegiis vivens & gaudens, Inquiſitionem hanc, ut Immunitatum, Libertatíſque prædatricem, admodum habebat ſuſpectam. Tumultum ut ſedarent Proceres, fumúmque exorituræ flammę comprimerent, omnibus viis inſtiterunt apud Gubernatricem Parmenſem, ejúſque conſiliarios, ut novum Inſtitutum tollerent. Verúm nihil effectum. Antonius ille Perenotus, vel, ut bene notus, Cardinalis Granvellanus in purpura ſua Cardinalitia exardeſcens, quęnam, & quám tyrannica ad hęc prolocutus ſit, quæ & regiis litteris erant confirmata, iſtorum temporum Scriptores abundé ſatis expreſſerunt. Ordines, aut Status Belgici apud omnes, qui aliquâ ratione providere poſſent, intercedebant; ne tandem Populus, licet ſit patientiſſimus & Principum ſuorum ſtudioſiſſimus, in furorem ageretur. Interea, Baro Montigniacus ex ordine Aurei velleris eligitur; qui Hiſpaniarum Regi omnia eo proponeret ordine quo in Belgio ſe habebant: rationibus inſuper, quibus Populus ſecundum Leges in officio continendus eſſet, Belgio in tempore ſuccurrendum. Sed Generoſus hic operam ludens, ſtatim rediit· nam quod in Belgio Cardinalis voluntas, hoc Inquiſitoria Poteſtas in Hiſpania valebat, & volebat. Alii præterea Gubernatricis & Ordinum conſilio dimittuntur. ſed his ficta, vel

ta, vel potiús nulla reſponſio contigit. Tandem, genere & rerum prȩclaré geſtarum memoriâ Illuſtris Princeps Egmondanus, in Hiſpaniam, calamitatem jam ingruentem Regi ut ob oculos poneret, ex conſenſu omniũ proficiſcitur. Rex huic benigné reſpondit, cum Belgis legitimé acturum promittit. & Egmondanus reverſus, hæc aperit. Verúm paullo póſt, Regis decretum, de Inquiſitione paſſim obſeruanda mandans, prodiit; minas, pœnas, extrema omnia complectens. Ordines, Eccleſiaſtici, Abbates Gubernatrici libellum obtulere: quo affirmabant, hoc nec poſſe, nec fieri omnino debere. ſed ambigua, incerta & abrupta reſponſa prolata ſunt. Quis, ſi modó ſit Legum, Libertatis, Rationis & Patriæ amicus, Hispanicæ Inquisitionis terrore non eſſet conſternatus? An non ſatis juſtus eorum timor, qui Leges, Libertatémque Patriȩ periclitantem aſpiciunt? Si meritó Arragoniȩ Proceres pro Regni Iure & Libertate, contra Hiſpanicam Inquiſitionem nondum his ſuis tam diris carnificibus miniſtris ſtipatam, ad ſanguinem uſque pugnaverint; quantó magis Populus Belgicus, Legibus, & Libertate longé ſuperior, hanc jam Inquiſitionem Hiſpanicam, Avaritiâ, Ambitione, Ferro, Flammâ, Tyrannide ita armatam, á Legum, Libertatiſque ſacrario, ſuorúmque demum cervicibus repellere debuit? Dicet quiſpiam hîc, tam ne horrendum illa Inquisitio monſtrum? Neſcio an in terris unquam Monſtrum exſtiterit tetrius, quod fugiendum magis & horreſcendum. Nullum eſſe puto monſtrorum domitorem Herculem, qui tale aut vidit, aut unquam fin-

gere potuit. Ex tribus in primis capitibus, nimirum, Avaritia, Ambitione, & Tyrannide, hoc Cerbereum Monſtrum eſt formatum : ardentibus deinde oculis prædam jam devorandam immani oris rictu excipit ; ignem , flammas in adverſarios evomens : ubera capaciſſima , quæ innocentiſſimorum ſudore & ſanguine implentur, geſtat ; ad quæ interdum, ubi hæc diſtenta & preſſa fuerint, Romanæ Lupæ catulos admittit , ut ſuperfluum alimentum , quod facilé corpori malum creare poteſt , tantúm ſugant, ne ſuis catulis , qui avariſſimi ſunt & rapaciſſimi , ſuum negaſſe videretur : Patribus ſuis, præſertim Hiſpanorum Tyranno ingentes prædas conſectatur, & reportat. Vngues præterea habet omni chalybe duriores , quibus ſcriptas perpetuis tabulis Leges, Iura, Libertates expungit , & delet. Cúm jam Monſtrum hoc Romano halitu , conjurationis ſignis , tremendíſque myſteriis fuerit incantatum , & magicis Simonis illius Magi ſucceſſoris ſacris correptum, omni furore & horrore per univerſas Mundi terras ſtridet,& ſævit. Hoc ne Monſtrum peſtilentiſſimum Populus præcipué Belgicus excipere, fovere , & adorare tenebatur ? Monſtro hoc in Belgicas Provincias proſerpente latiús , nihil tutum, nihil ab immundo huius contactu erat liberum. Tandem , plurimi Heroes & Nobiles Gubernatrici libellum offerunt, quo pernicioſum hoc Monſtrum, veri Herculis vice fungentes , ſublatum cupiebant; Regi omnem fidem & obſervantiam ad extremum præſtantes. Montigniacus,& Marchio Bergenſis Legati decernuntur, Majeſtati regię Belgici ſtatus omnia

decla-

declaraturi. verúm hi, ut rebelles & crimine Læſæ Maieſtatis damnati, poſtea in Hiſpania morte affecti ſunt. Tyrannorum ſiquidem ars hæc eſt maxima, quam ex Thraſybuli, Tarquinii, aut Machiavelli conſilio & ſchola didicerunt, *Potentiſſimum* nempe, & optimum quemque é Repub. tollere, priús falſis criminibus accuſatum, vel aliis de cauſſis, alióve modo necare. Granvellanus nihil ita deteſtabatur, quám Ordinum juxta morem maiorum conventum: nihil Regi, Tyranno putá, ſalvum eſſe judicabat, niſi Procerum illa comitia priús tollerentur: nihil Regem tam odiſſe, quám Ordinum liberum concurſum. Comprobavit ne litteris Legatus ille Hiſpanus ad Gubernatricem, ex hoc Belgii incommodo, magnũ Regi commodum obventurum? Regem hac via effecturum, quod maiores ejus nunquam antea potuerunt? Nunc cum Belgis, ut cum Indis, acturum? Et ſeditiones Regi magis eſſe optandas quám timendas, non reſpondebat Cardinalis? Egregius tu Scholæ Machiavellicę es Philoſophus: & optandum quoque maximé fuiſſet Hiſpaniarum Tyranno, ut frons illa tua Cardinalitia, ad juventutem magis, quám ſenectutem, reſpexiſſet, quó ſupereſſe longiori tempore Scholæ Tyrannorum potuiſſes. ſed tui ſimiles magiſtros, quos ut plurimos Hiſpania ipſa creare poteſt, reliquiſſe putandum eſt. Satis jam juſta Tyranno Hiſpaniarum cauſſa, Belgium invadendi; Ordines, Nobiles, Leges, Privilegia opprimendi, & tollendi: Latronum Hiſpanicorum manu & vinculis civitates conſtringendi eſſe tempus: denique, dirum hoc Inquiſitionis Monſtrum, expanſis faucibus, vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

gore & viribus integris , cum gloria & veneratione ſumma, in Belgicis Provinciis jam eſſe circumducendum, & adorandum. ô Belgium! ô tempora & mores! In quos Tyrannos & latronum Principes, brevi temporis mutatione, non incidiſti? cuius unquam gentis ſub ſole miſerior ſors fuit? Et quæ bonorum regio eſt, quæ non tuum caſum, diuturna illa & horrida bella deploret? Cúm jam Belgicis Provinciis crudelia omnia ab Hiſpanis minarentur; tandem, in interitum Belgii monſtrum, utpote ex Mauro & Hiſpano conflatum, prorepit. erat autem hoc Albanus ille, qui ut maximé barbarus, ſic etiam ambitioſiſſimus tyrannus. Hic ſui ſimilium manu ſtipatus, á Populo Belgico, ut patientiſſimo, paſſim Regis nomine, obſervantiâ omni recipitur. Populus ex Regis promiſſis ſperans meliori loco ſe res habituras, Albanum, hominem illum peregrinum, regiis litteris Belgii Gubernatorem contra Leges Libertatémque conſtitutum, conſpexit. Hic ſuæ naturæ reſpondens, & temporis minimé patiens, potentiores civitates & munitiora loca præſidio ſuo firmavit; caſtella, arces, machinas, ut Libertatis compedes, in præſtantiſſimarum Rerumpub. muros & ſalutem eſt fabricatus: Illuſtres, Generoſos, Nobiles variis technis circumvenit; circumventos cepit; captos trucidavit: inter quos Comes Egmondanus, & Hornanus: quorum ille rerum geſtarum maximé memoriâ illuſtris, & propter præclaras Regi comparatas victorias celebratiſſimus, Romanæque religionis ſtudioſſimus fuit cultor: hic, ut pacatę & tranquillę vitę vir Regis obſervantiſſimus, ſic & innocentiſſi-

tiſſi-

tiſſimus. ô quanta his temporibus Ordinum, Principum, Nobilium, Civium miſeria! quæ exilia, proſcriptiones, edicta, carceres, vincula, neces! Nihil ſanctum, nihil liberum, quám ſola Tyrannis. Sublatus erat Civilis ſtatus; Senatus Sanguinis jam inſtitutus: Eccleſiaſticorum bona & dignitates diripiebantur: bonos perſequi, eóſque aliorum Principum ditionibus expellere, externis Principibus mandare, minari ſummum jus & ratio huic erat Tyranno. Mercaturæ jus ſuum erat ablatum: ſtabilita fuit barbaries; prohibita liberalibus & politicis ingeniis perigrinatio; indictum Humanitatis ſcientijs bellum: nihil, quod ſervituti & æternæ tyrannidi ſerviret, prętermiſſum. ita, ut veriſsimum in hoc Nerone Veteris cuiuſdam Scriptoris dictum videamus, *Sub Tyrannis*, nimirum, *nihil eſſe tutum: nam dicta, ſcripta, facta, ſomnia recitata, & quæ duntaxat ſunt meditata, in crimen Læſæ Majeſtatis, vel Religionis Læſæ rapiuntur*. Poſtremó, quorum bona jam anté non invaſerat, eorum nunc novis exactionum & vectigalium rationibus exhaurire propoſuerat. At quid non propoſuit? Hiſpanica Avaritia, & Ambitio anguſtis his Provinciis contenta eſſe potuit? Nunquid urbes & metropoles, Coloniam, ſcilicet, & Monaſterium, ſitu & opportunitate commodiſsimas, ut propugnacula, quibus Belgicas Provincias obſiderēt, Germanię incumberent, eam premerent, in eámque ut viam ſibi tandem facerent, tyrannica illa & Hiſpanica Ambitio, niſi interno bello domita fuiſſet, occupaſſet? quot rationes, quot propoſita conſilia de Embda Hiſpanici juris facienda? ó Germania, ó Imperii Proceres, quot

inſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

inſidiæ vobis ab Hiſpanis ſtructæ ſunt, quotidie ſtruuntur, ubi Hiſpanicis & Papiſticis proditionibus incenſa ſunt omnia: de Libertate veſtra ab Hiſpanis tollenda agi, ſi non agnoſcitis, ſaltem hodie cognoſcitis. atque hoc vobis ut indigniſſimum, ſic & notiſſimum eſſe debere, infrá declarabimus. Dum has ſæviſſimæ Tyrannidis notas & exempla ederet Albanus, Hollandia & Zelandia Provinciæ deficiunt, Tyrannoque Albano reſiſtunt; & ſub auſpiciis Illuſtriſſimi Principis Vranii, harum Provinciarum Gubernatoris, pro Lege, pro Rege, pro Grege, contra Hiſpanorum tyrannidem & libidinem acerrimé pugnatur. Tyrannus, ut ſibi antea viſus feliciſſimus, nunc infelix: quæ crudelia verba orationéſque non habuit? quę horrenda non geſſit? quoties fidem in bello datam non violavit? Sed revocatus fuit Albanus in Hiſpaniam: qui, quód rebus gerendis parum felix, ſic & ſimulationibus (ut plerumque Hiſpani omnes, propter innatam illam Ambitionem omnia ebullientem) non idoneus eſt judicatus. Diſcedens voluntatem Regis in ſua illa adminiſtratione ſecutum fuiſſe, demonſtrat: immenſis prædarum opibus, innocentiſſimorum ſanguine oppletus, verúm non ſatiatus, præclarus hic Populi Paſtor, receſſit. Apud ſuos receptus, honoris & dignitatis titulis decoratus, victor & triumphator ſalutatur glorioſiſſimus: qui cúm epulis ſui ſimilium ſanguinariorum intereſſet, facinora in Belgio á ſe profecta, ut Hiſpani ſolent, jactabat: inter cetera, in Belgicis Provinciis, ſua voluntate, manu tantúm carnificis aut ſpiculatoris octodecim millia hominum & ſexcentos cecidiſſe, ſummâ gloriâ recenſet,

cenſet. hæc ſi cum gloria enarrentur, quid jam in Hiſpania virtus valeat, quemq́ue clementia locum habeat, facilé eſt cogitandum. Refertur de Piſone tyranno Hiſpanico, quód trecentos ſubditos interfecerit; per cadavera incedens, dixit, Hoc regium eſſe: accuſatus coram Tiberio, aiebat, ſe iuſſu Tiberii hæc feciſſe, quem ad hæc libellum ſcripſiſſe finxerat: cui libello innixus, manus ſibi intulerat. At de Albano tyranno Hiſpanico quid ſentiendum, qui non tantúm trecentos, ſed multa millia é vivis ſuſtilerit? qua non voluptate hunc affectum fuiſſe, eſt credendum? hic ne accuſatus coram Philippo? Minimé; verúm á Philippo laudatus: hic non libellum finxerat, ſed huic Philippus ſanguine pinxerat: hic imperioſus, mortem non timens, lætiſſimé in media Hiſpania apud omnes vixerat. ó Tyrannorum domicilium, Hiſpania! Tibi ſatis non eſt Regnis & potentiá alios ſuperare, niſi Tyrannide quoque Marrannica eos ſuperaveris. In Albani locum requiſitus ſubſtituitur Requezenius; qui, ut Caſtiliæ Commendator, propter cucullatam & vulpinam calliditatem & ſimulationem commendatiſſimus fuit. verúm hic callidus ſimulationibus habitus, diu innatum ingenium occultare non potuit. Sub hoc omnia quæ libebant, Hiſpanis, & licebant: avaritiæ, rapinarum, libidinum nullis finis. Res belli Commendatori huic commendatiſſimo non dextré cedebat. ſed paullo póſt hæc peſtis interiit. Sæviebat nimiúm interea Hiſpanicæ peſtis malum: Amicorum vrbes invadit, prædatur, incendit, depopulatur; ita, ut nullis in terris, quidquam viſum, aut auditum ſit crudelius. Ordines ii,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

quos tantúm Hiſpanica Tyrannis pro libidine antea volebat, in locum Requezenii, ex Regis voluntate, ſuccedunt; &, Hieronymo Rhoda, famoſo Hiſpano, Ordinibus adjuncto, præſente, Raptores illi pro hoſtibus regionis ſunt publicati. verúm Rhodas ſuis ſe Hiſpanis immiſcuit, & flagitioſiſsimorũ caput (concilio Ordinum deſpecto) authoritatem & ſigilla regia exprimendo, ſe conſtituit. His coacti Ordines, cũ Illuſtriſsimo Vranio Principe, Hollandię & Zelandię Ordinibus fœdus contrahunt, pacem ineunt; quó Patriæ hoſtes paribus & conjunctis viribus aggrederentur: inſtabant nihilominus apud Regem, ut, pro Patriæ ſalute & felici rerum ſucceſſu, Hiſpani illi ex regionis terminis cederẽt. Rex promittit ſe velle ſubvenire Provinciis afflictis, & in capita turbarum animadvertere. verúm omnia, ut poſtea palám fuit, ficté & ſimulaté acta fuerunt· nam impuriſsimos quoſque, & in primis hunc nobilem Rhodam, ſibi fidiſsimos, amiciſſimos appellabat; in eóſq. beneficia & munera ſe collaturũ promittebat. In hoc ſtatu dum Reſpub. Belgica verſaretur, Ioannes Auſtriacus, illegitimus huius Tyranni Hiſpaniarum frater, verúm legitima omnia Hiſpanicæ naturæ conſecutus, in Belgium accelerat: qui ſub prętextu comprobandi Pacem Gandenſem, educendi Hiſpanos, plectendi malos, hoc ageret unúm, ut jurgia, lites inter Ordines ſereret, eorúmque animos callidé diſtraheret; potentiorum ſibi conciliaret volũtates, quorum ope, Hollandiam & Zelandiam ſibi devinciret, & ſubjiceret: inter cetera, juxta Hieronymi Rhodæ Inſtructionem ſe formaret. erat autem hæc ex Machiavelli ſcholę propoſi-

poſitionibus compoſita Inſtructio, & meré tyrannica. Sed hic, ut ii qui prçceſſerant, ad ſimulandum ineptus, quippe inter Hiſpanos çducatus, nunc nutu, nunc verbis pugnas crepans, pacem & otium deteſtans; donec tandem, fugiendo, hoc molitus fuerat, quod facere potuit, non quod voluit. Bellicis furoribus denuo in Belgio omnia miſcebantur. Auſtriacus, Ambitione, virtute Hiſpanica ſuperbus, vixit. Hiſpaniarum Tyrannus durioris quotidie animi erat; Pacem Gandenſem rejiciebat; alias conditionum leges & exceptiones ex illo ſuo politico Inquiſitorũ Concilio & Tabulis depromebat. Quoties hic á Piis Principibus, præſertim á Sereniſſima Angliæ Regina admonitus, ut laboranti Belgio occurreret, Paci & ſaluti Rempub. reſtitueret. ſed vana fuerunt eorũ ſtudia. Nec mirum: nam ſemper Hiſpanica illa Avaritia, & Ambitio hoc ſibi præfixerat, Belgis, ſcilicet, ſecundũ libidinem noſtram non ſubactis, omnis prçdæ ſpes, quam nobis Anglia, Germania & Gallia promittit, prorſus irrita eſt futura. atque ita ſtudiorum noſtrorum exſpectatio evaneſcet. Tribus his Tyrannicis Præſidibus officio & vita defunctis, alterius nationis Rector Belgio erat præficiendus. Non jam Hiſpanus, qui in ſimulando imperitus, & ſępe in ore geſtat, quod in cordis latet receſſu, ſed homo Italus, ſimulationibus idoneus & inſignis, prçficitur. Stultum profectó fuit, Tyrannum Hiſpaniarum, vel potiús ejus magiſtrum Granvellanum, magno ſuo malo, Belgici Populi Naturâ jam demum noviſſe. Populus enim Belgicus, ut naturâ mitis & placidus, per placidos quoque & benignos Gubernatores regi & tandem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

capi oportebat: qui, ſi per tyrannos regatur, licet ad tempus ſit patientiſſimus, ſe tamen perpetuum eſſe Tyrannidis ultorem, cõſtanter & probé demonſtret. Tandem igitur Alexander hic Parmæ & Placentiæ Princeps, ut ſummæ rerum Belgicarum præeſſet, mittitur: qui, ut Duces ſuperiores clementiâ & ſimulatione, ſic etiam felicitate & fortuna longiſſimé ſuperavit: conſecutus enim feré ea, quæ voluit. Hic Hiſpanorum Avaritiæ, Ambitioni, Libidini, Tyrannidi, ut Belgicæ Reipub. inimiciſſimis hoſtibus, parmam ſuam, ſeu clypeum objeciſſe videtur. Belgicus Populus, quantumvis iniquioris pacis leges, vel potiús ſervitutem præſcripſerat Hiſpaniarum Rex, minimé tamen deſiſtit pacem petendo, ſupplicando, inſiſtendo. Intercedunt Cæſarea Maieſtas & Germaniȩ Proceres; quorum operâ & curâ, certam Populus ſperabat pacem. verúm Hiſpanus pactionem magis ſervitutis, quám libertatis pacem expetere viſus eſt: hoc unúm per hoc tempus agendo, ut diſſenſionem animorum, cõtraria ſtudia, quibus Belgicȩ ut ſociæ Provinciæ divellerentur, introduceret. quod poſtea Proſcriptio illa Hiſpanica, ut barbara & tyrannica in Vranium Principem divulgata, ſatis veré docuit. Abjecta nunc & erepta erat Belgis omnis ſpes cum Hiſpaniarum Rege in gratiam redeundi: cuius Tyranni minæ, vis, extrema Tyrannis, ſingularem Populi Belgici patientiam vicerat. Alia igitur remedia, ad hanc Hiſpanicam peſtem depellendam, erant inveſtiganda. Sed quæ cauſſa hunc Tyrannum movit in Vranium illum omnia dira proclamandi? Sola ne huius Principis virtus, Tyranno juſtiſſima cauſſa fuit?

Maxi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Maximé: nam Regis Hiſpaniarum, Belgicæque Reipub. bono & ſaluti natus erat hic Princeps: qui ad tuendam regiam dignitatem & nomen, ſemper paratiſſimus exſtitit; qui Belgarum Libertatis & Legum acerrimus contra Tyrannidem fuit propugnator; qui in adverſis, animo hilari, in proſperis, moderatiori ſuos alloquebatur. cuius virtus, ut brevibus, omni omnium Principum virtute, longé maior. cui non ſolúm Belgicę Provinciæ, verúm etiam univerſus Orbis immortales habere debet gratias: nā ille ipſe eſt, cuius conſilio & prudētiâ Raptoribus & Tyrannis Orbis fuit occurſum: qui, ſi Belgium pro libidine in poteſtatem ſuam redegiſſent, aliîs iam Mundi Principum Regnis Hiſpanica illa Ambitio bella tyrannica intuliſſet. Summa igitur divini illius Principis Vranii virtus, ſummo fuit odio Tyranno Philippo. Quas hic peſtes, quæ venena, quas neces, præmia, ſcelera ſemper hoſti improbata, in mortē Principis non propoſuit, non præparavit, & ubique tyrannico furore non proclamavit? Vbi nūc Fabricii, Caroli, Alphonſi, qui hoc mortis genus execrati ſunt, &, ut parricidium, puniri volebant: quibus nunquam victoriam placuiſſe, cuius poſtea pigendū pudendúmque eſſet, accepimus. Vbi nunc Alphonſus ille, qui *non per ſcelus, ſed virtute* gloriam quærendā eſſe, reſpondit? qui *ſe non ſolúm* pro Caſtellæ atque Hiſpaniæ dominatu, ſed ne pro totius quidē Orbis imperio adipiſcendo, *tam crudele atque deteſtabile facinus* permiſſurum, affirmavit? Vbi nunc horū temporū Principes, qui hanc viam ſuperandi hoſtis tantopere improbarūt, publicíſq. ſcriptis ab hac ſe abhorruiſſe toties oſtenderūt?

 Et tu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Et tu Hiſpaniarum Philippe, hanc mortis viam mente concipere, edere, pręcipere & coram toto Mundo promulgare non erubuiſti? verúm tua te Potentia & Dominatus excuſat; quibus tibi, quod libet, licet. Neque peregrinum, te ſceleratâ manu occidiſſe Principem, cúm nec á tuis viſceribus, Vxore, videlicet, tua, & Filio tuo impias manus abſtinueris. Itaque Populus Belgicus, omni jam ſpe pacis tuæ ademta, tandem, poſt nimiam á te illatam injuriam, te hoſtem & Tyrannum habuit; in Provinciis ſuis publicé, ipſo Iure, declaravit; tuo te Iure & bonis exuit; arma tua & ſigilla dejecit, reſcidit, abolevit: & ſemel, te, tuóſque ſempiternos hoſtes ſe habiturum, juravit. Talis eſt Reſpub. Belgica, quę non juxta cupiditatem & libidinem imperantis, ſed juxta LEGES, ſine quibus nulla etiam Reſpub. apparet, regitur & conſervatur. Talis, inquam, Reſpub. Belgica, quę te habuit Principem, non Dominum; Legum conſervatorem, non violatorem: vel potiús, ſi vis, Regem & Dominum; ſed adde, ſecundũ LEGES ORDINÚMQUE Voluntatem. cuius Reipub. Leges & Privilegia ut conſervares, primus tu juraſti. & tu Philippe, ſanctis Populi Belgici Legibus vim inferre, nõ dubitaſti? Vbi nunc fortiſſimus & ęquiſſimus ille Princeps, qui Gladium in ſe ipſum Leges violantem á Populo ſtringi volebat; contrá, eodem & in Populum peccantem uti affirmabat? Vbi & illud Regnum, quod ſine Legibus regitur? ubi iſte Populus, qui Legibus, Libertatíſque Privilegiis hoc Belgico Populo eſt ſuperior, pacatior, & in malis patientior? Huius tu Populi non ſolúm Leges, ſed diuturnam quoque Patientiam ſupera-

pera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

peraſti : Libidinem tuam, Pacem appellaſti : ſub Pacis nomine, Inſidias, Proditiones, Scelera meditatus es & machinatus. Et tandem Populus Belgicus Patientiâ ſuâ & Armis tuis victus, te hoſtem & Tyrannum Iure non declaravit? Hoc qui negat, aut neceſſe eſt ut ratione pręditus non ſit, aut Tyrannum nunquam á Mundi exordio ad hoc uſque tempus vixiſſe affirmet : idémque hic cogitet, ſe Rationem, Naturam, Legem, Deum hoſtem habiturum. atque hęc de vindicta, Publica nimirum, contra Tyrannos, paucis dicta ſunto. Contra huncPopulum hodie armis & proditionibus bellum gerit Hiſpanus; atque hoc, Alexandro illo Placentino duce; qui, ut Italum decet aucupem, placenti fiſtulæ cantu in rete tyrannicum multos pertraxit, & cepit; eóſque ad Hiſpanorum libidinem reſervat. quorum aucupium, ut otioſi ſolent in ſole ſpectatores, mirum eſt Principes aſpicere. Sed ad alia Avaritiæ, & Ambitionis Hiſpanicæ argumenta, aliis in Regnis producta, deveniamus. Hiſpanis quám inviſa ſit florentiſſimi Regni Anglorum felicitas, & quantâ illud prædandi aviditate hi teneantur, ſuperiora tempora ſatis ſignificant. Quid Albani illius temporibus in Belgio uſurpatum fuit ab Hiſpanis frequentius, quám, Angliam eſſe invadendam; Hæreticam Angliam ſolúm Regi jam obeſſe? levi labore á Rege capiendam, & ſubigendam? atque hæ ambitioſi Hiſpani voces iſtorum erant temporum. quæ poſtea conſilia, proditiones Hiſpani jam potentiores facti foverint ad Angliam ſubmittendam, facilé eſt exiſtimandum. Nunquid exemplum illud Impreſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

ſionis ante paucos annos factæ in Hyberniam ab Hiſpanis, Anglia ante oculos habet? cuius impreſſionis conſilium erat, ut inſula levi primúm manu occupata, maiori deinde exercitu tota eſſet ſubjuganda; atque ita Hiſpanicis Regnis adjungenda. Quid? nunquid Anglorum Legatus & litteræ ad Hiſpaniarum Regem rejectæ, repudiatæ fuerunt? nunquid locorum ſitus & commoditas Angliam ab Hiſpanis invadendi certis tabulis fuit deſcripta? De modo occupandi, de domeſticorum proditorum ſubſidio, quid, quoties actum non fuit? Qui proditores & ſcelerati ex Anglia profugi, apud Hiſpaniarum Tyrannum, hodie locũ non capiunt? qui nõ in huius Tyranni aulis, ſpe prędandi Angliam, quotidie magna veneratione coluntur? Quoties Hiſpanus, ſuo jure; Pii, ut aiunt, V. Romani Bullatoris authoritate inflatus & ſuâ potenti Ambitione fretus in Angliam non rapitur? Satis ęqua cauſſa Tyrannis eſt Cupiditas, Ambitio, Potentia: dominari, rapere, mactare ſub ſanctiſſimi illius patris nomine & voluntate, illis cauſſa eſt ęquiſſima. Quibus inſidiis proditionibus Scotiæ Regum Hiſpaniarum Prædo non venatur? quos primus hic & ſtrenuus Venator prędarum cõſectatores non alit, & incitat? Habet qui inveſtigent, indagent, explorent: habet ſua mancipia, ſeu potiús agiles, leves & admodum ſagaces illos canes Guiſianos, qui Scotię Regni prędam, ut meritoriis illis canibus convenit, Venatori ſuo Hiſpano, odore & ſudore omni conſequi parant. Heu quanti nunc in pręſtantiſſimo illo Galliarum Regno tumultus excitantur! quanta incendia miſcentur! quot Sinones, quot

aper-

apertos hoſtes Guiſianos hodie Gallia non conſpicit? Sed, cuius ductu & auſpiciis, tam confidenter, hęc omnia aggrediuntur? Hiſpanię ne? Maximé Hiſpanię: ex qua, tanquam ex equo Troiano, in univerſum Mundum omnia feré bella & mala, deſcendunt. Qua cauſſa, quo fine hæc omnia ab Hiſpanis proficiſcuntur? Reſpondebunt forté Hiſpanici, Vt Romana Eccleſia paſſim ſtabiliatur, colatur, & adoretur. Hæc ne caſtiſſima veſtra Helena eſt, pro qua, diuturnis bellis cœlum terrámque commovendo, certatis? ſcilicet. Aliam Helenam quęritis: non Romanam Religionem, ſed Romanam Regionem & Monarchiam quęrere & ſtabilire conſtituiſtis. atque hoc, non tam armis, quám Proditione, Ambitione, & Tyrannide. Purpurata, Babylonica & ſinceriſſima illa Meretrix, Famula veſtra eſt, non Domina. Tu ne Gallia, beatiſſimum olim Regnum, nunc, ut miſerrimum Hiſpanicis Guiſianorum vinculis vincta & quaſi victa jacebis? Lotharingi illi & Sabaudi in mediis viſceribus veſtris ſunt ferendi? Semper ne vobis á Perſonato Hiſpanorum numine, Romano Pontifice, eſt imponendum? Tyrannus ne Hiſpaniarum juſté veſtras regiones, Papâ tanquam Prætore authore, poſſidet? Dubitandum non eſt, quin longé pernicioſior futurus ſit Galliæ Regno Semi-Hiſpanus Sixtus hic V. quám olim furioſiſſimus Iulius ille II. qui Ludovicum XII. & Iohannem Navarrorum Regem, huius Henrici proavum, Quód ex officio hic Regi opem ferebat; Romano anathematis fulmine percuſſerat; Regnum ejus prædæ & libidini alterius ſubjiciens. Nunquid tum Ferdinandus

F ille

illeCaſtiliæRex(de quo ſuprá dictum, nullam extendendi Regna occaſionem hunc neglexiſſe) in Regem Navarrorum, ſchiſmaticum & hæreticum á Iulio proclamatum, & jam á Regno abſentem arma ſumſit, atque principem urbem Pompeiopolim & maximam deinde Regni partem in poteſtatem ſuam redegit? Nemo acerbiſſimam illam teterrimi Iulii in Gallum iram exprimere ſatis poteſt. *Pontifex*, inquit Hiſtoricus, *Iulius II. irâ percitus, gladium ex Petri manibus corripit, in rebelles contumacéſque ſtringit: ipſos ſchiſmaticos ac proinde hæreticos declarat: bona publicat: ad cuius ſententiæ executionem Chriſtianos Principes invocat, atque imprimis noſtrum.* & iterum, *Rex Navarrus mulctatur regno & omnibus fortunis: non modó ipſe, ſed & uxor & filii cum omni poſteritate ſua, & in Hiſpaniam omne ius regnandi transfertur.* Additur & his primi Italorum ſcriptorum Hiſtorici ſententia, quæ ita eſt: *Hiſpanorum Rex cum ſe Navarræ regnum legitimé poſſidere alio nomine affirmare non poſſet, occupationem Iure Pontificii imperii factam eſſe, ſacroſanctæ ſedis authoritate, diſſerebat.*

Pontifex enim rebus in Italia feliciter geſtis minimé contentus paullo anté edictum in Galliæ regem promulgarat, quo illum non ampliús Chriſtianiſſimum, ſed Illuſtriſſimum appellans, eum & quotquot illi ſtuderent, omnibus hæreticorum & ſchiſmaticorum pœnis ſubjiciebat: cuius fortunas, regna, réſque illorum omnes Iure occupandi facta poteſtate damnatas declarabat. Iccirco, ſi ita iſtis temporibus authoritate Pontificia Hiſpanus avidus in Galliæ Regnum, eiúſque partem capiendo, manus injecerit, quid jam hoc tempore, quo Hiſpanorum Ambitio cum potentia creverit, Gallorum diminuta valde ſit

pote-

poteſtas, Galliȩ Regno eventurum putabimus? poſtquam Sixtus hic Semi-Hiſpanus ſuo Hiſpanorum Tyranno (cuius ope & gratia hanc peſtilentiæ Cathedrã aſcenderit) habetur amiciſſimus. O quanta tonitrua, quám terrifica fulmina in Navarræũ & Condæũ Principes dejecit! & in alios Mundi Reges, cúm Hiſpanicis rebus erit conſultum, dejiciet! O Francorum Rex; Pontifices Romani, beneficiorum tuorum in R. Eccleſiam recordatione ducti, tibi ne favebunt? te ne hodie dignum Chriſtianiſſimi nomine cenſent? Nunquid omnis nunc laus & voluntas Pontificis, in hoc uno Philippo Catholico ſive communi Orbis Tyranno, reſidet? Vbi nunc veſtri Caroli Sapientes, Philippi, Ludovici Patriæ parentes, qui Tyrannidẽ Pontificiam adeo ſunt abominati? Aliis in Regnis olim Galli imperabant, longinquis in locis bella ducebãt: hodie in Regno ſuo & avito non imperant, bellum decernere non poſſunt. tam ſunt ubique inſidiis, proditionibus & armis avariſſimorũ Hiſpanorũ circumſepti. Quanta rerum, & bellorum in primis eſt viciſſitudo. Inſolentiæ, Avaritiæ, Ambitionis Hiſpanorum teſtis quoque Germania habetur: cui Hiſpanica natura, etiam ante Caroli Cȩſaris tempora, fuit perſpecta. nam, ut Germanus ille Hiſtoricus, Hiſpani ii ſunt, *qui*, ſi quid rectè geſtũ fuerit, omnem ad ſe gloriam traducunt; *qui* victoriis aliorũ fruuntur; *qui* ipſi provinciis prȩeſſe volunt. Ignorare non debemus, Hiſpanica ingenia, quȩ ſemper crudelia ſunt, Caroli V. prudentiâ, potiſſimúm in Germania, ad tempus fuiſſe coërcita: quȩ, ſi libera exſtitiſſent, quám infinitas ambitioſæ tyrannidis notas, in omnium ſeculorum memoriam,

 pro-

prodidiſſent. verúm ſua ſigna & veſtigia innatæ Ambitionis Germaniæ reliquerunt. Maluerunt tum, conſulendo honori ſuo, é Germania cedere, & bella inferre tempore magis opportuno. quod jam nunc, ut docebitur, inſtare videtur. Si ſub Albano Belgii præſide Hiſpanorum Avaritia,& Ambitio ita exarſerit, ut in potentes urbes, Coloniam,& Monaſterium involaſſet, hodie ne eaſdẽ invadet? Forté hoc Hiſpanica Ambitio nõ tentabit,niſi omnibus priús Hiſpanicâ proditione incenſis, Imperio toto nutante, totam tandẽ Germaniam ſuperanti flammâ conſumat. Quæ præterea in adjacentibus Belgio Principum ditionibus Hiſpanicę Avaritię,& Ambitionis non proferuntur teſtimonia? Quid non in Amaſenos, Menapios, Agrippinates, Eburones,quod Ambitione Hiſpanica dignum erat,editum fuit? apud quos,ut alienos, modó hoc, modó illud publicare, pręcipere & quodammodo faſtu ſuo Hiſpanus imperare dicebatur. Quæ tyrannicæ ſive Hiſpanicæ voces in horũ ditionibus nõ percipiuntur? qui, dum ſe ut alieni & exteri Principis jure & ditione adverſus Avaritiam & Inſolentiam Hiſpanorum tueri volunt, miſeré ab his ridentur & cruciantur: tum hodie in Menapiorum & Vſipetum Reguli regionibus quid his Hiſpanorum verbis frequentius, ſelicet, Non curandæ ditiones & regiones aliorum Principum, ubi de utilitate & fortuna Hiſpanorum Regis agitur: Non reſpiciendum cuius caſtella & munitones ſint, dummodo hæ Regi ſerviant: Principum & Regum omnium eſſe Principem & Regem Hiſpanum. atque hæ quotidianæ voces ex inflato & ambitioſo Hiſpanorum

pectore

pectore exprimuntur: qui, dum ſe amicos volunt, Amicitiæ jus violant: Vicinos dum vocant, prędonum & expilatorum viæ inſiſtũt. quibus nominibus quám multos Avaritia & Ambitio Hiſpanica deceperit, vix ullo modo poteſt dici. Quę bellorũ ſemina in Danorum & Suevorum Regna ſpargere non cogitavit Hiſpanicus Põtifex, quę maturo jam Marte & quaſi langueſcente, Hiſpanica Avaritia ad ſe raperet? Conjunctiſſimæ deinde Helveticæ Societatis vinculo manus ſuas per Sabaudum ejúſque ſimiles Hiſpanus nõ injicit? Quid huic, hac Societate tanquã tutiſſima Libertatis cuſtode, magis eſſe poteſt odioſum? quę ſi diſſoluta fuerit, facilé Sabaudus, ſociis tum ſuis armis adjunctis, ſeparabit, diſtrahet, & devincet. Æquêne & benigné Italiæ Principes elatã & ambitioſam Hiſpanorum Tyranni potentiam Italiæ cervici incumbentem intuentur? coguntur ne damnum & injuriam ab Hiſpano illatam, ſæpius ut inultam reprimere, quám oblivíſci? Clariſſimæ Venetorum Reipub. potentia á quo ſucciſa & diminuta magis cenſetur, á Turca ne, vel ab Hiſpano? Magis ne Turca ſua virtute, an fraude & perjurio Hiſpanorũ, Cyprum ſibi ſubegit? Loquantur Veneti, aut ſaltem ſe hæc diſſimulare fateantur. De ampliſſimo & potentiſſimo Poloniæ Regno quid nunc ſentiendum? An cogitandum, grave futurum Hiſpanorum Tyranno hoc Regnum ſibi acquirere ſuæque facere poteſtatis, vel potiús per Hiſpanica mancipia Tyranni nomine poſſe adminiſtrari? Minimé hoc orbis Tyranno grave futurum, ſi modó graviſſima hæc ratio nõ prohiberet; quæ eſt, METUS pręſens omnium etiam ignaviſſimorũ Prin-

 cipum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

cipum: quo hi ducti, apertiſſimam iniquiſſimámque Avaritiam, Ambitionem & Tyrannidem Hiſpanicam eſſe coërcendam, jam demum omnes ad arma conclamarent. Is ſiquidem Poloniæ Regni ſitus, qui, præter hoc, quód ab Hiſpanicis Regnis longé diſſitus ſit, uno etiam latere maximę Germanorum Provinciæ incumbat;altero, Turcarum finibus quaſi adhæreat. quod ſi Hiſpanus ipſe, vel potiús huius adminiſtri occuparent, ſe totius tum Mundi tam amiciſſimis quám ſtolidiſſimis, multó magis his vicinis Principibus Natura & ſtudium Hiſpanorum proderet. quantum mali Tyranno Orbis ab illis impenderet, licet hic ſuis excæcatus vitiis hoc nõ videat, oportet tamen ut ſentiat. Obtinere igitur Poloniæ Regnum per ſua mancipia Hiſpanicæ quidem eſſet poteſtatis & voluntatis, niſi opportunitas & pręſens Tempus obſtaret: quo, ſi Belgium viribus proditionibúſque Servituti ſubjectum fuiſſet, quæ hodie occaſio, opportunitas, tempus, locus, arma Orbis-terræ Tyranno utilia non eſſent futura? Turcia ipſa teſtari univerſum cogit Mundum, Hiſpanos cum Turca inducias, aut potiús pacem iniiſſe, ut faciliús ea, quæ Chriſtiani Mundi eſſent, Ambitio & Tyrannis jam libera diriperent; ſuíſque legibus, ſeu vinculis pluſquam Turcicis & Barbaris, totum demum Mundum Servituti Hiſpanicę ſubjicerent. OMNIS Servitus miſera eſt, & ea in primis, quæ ab Hiſpano proficiſcitur: qui, quó ambitioſior eſt, eó crudelior judicandus.

QUA-

QUAPROPTER Sereniſſimi, Illuſtriſſimi, & Potentiſſimi Principes, Liberæque Reſpub. omnes, Cúm Deus, ſummus ille Cœli Terræque Imperator & Iudex, Reges, Principes, Magiſtratus hunc ob finem eſſe voluit, & conſtituit, ut *Bonos* defendendo, *Malos* veró puniendo, ſubditorum ſuorum ſaluti omni tempore conſulerent, & proſpicerent: ita etiam, ut qui ſegnes & negligentes in hac officii parte deprehenderentur, acerbis divinæ iræ pœnis eſſent torquendi. atque hoc ratione non levi· nam ubi ſegnities Principum, ibi malorum invaleſcit conſuetudo; ibi bonorum oritur contemtus & raritas: Neglig ētia Principum malos nutrit, bonis injuriam infert; Boni ubi nulla ratio, ibi Pietas omnis & virtutes omnes tandem tolluntur. hinc Regna, Reſpublicæ, Societates omnes concidunt. Vnde hæc mala originem ſuam trahunt niſi á Principum ſocordia & inertia? Graves igitur deſidioſis Principibus pœnas eſſe exſpectandas, Reipub. & Bonorum interitus (cuius hi ſunt authores) ut certa ratio, ſatis exprimit. Nullum unquam tempus incidit, quo magis Principibus ſomnus & ſocordia ſit excutienda, quám hoc, in quo hodie verſamur, Tempus: quo res Principum & Reipublicæ ſalus videntur periclitari. Videtis Principes publicum illum Orbis-terræ hoſtem, in quo Cupiditas, Avaritia, & Ambitio dominantur; curâ, labore, vigiliis, armis, inſidiis, ptoditionibus adminiſtris: quem non unus Orbis poteſt explere: qui nec adverſam nec ſecundam ferre poteſt fortunam. Victus enim vires recolligit, acriús iratior inſiſtit; victor, graſſatur longiús, invadit, vaſtat, perdit omnia. Hic

cúm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

cúm ômni tempore advigilet, vobis, Principes, pro veſtra veſtorúmque cõſervatione nunquid omni labore & vigilia excubandum? In perpetua, ſicut dicitur, Reges vigilia ſunt collocati, ut ſemper, aliis oſcitantibus, Reipub. ſalutem curent: jam, cúm de inſigni Regnorum & Rerumpub. mutatione & clade agitur, non eſt expergiſcendum? Veſtra & ſubditorum ſalus adverſus hunc extremum hoſtem propugnanda & tuenda non exiſtimatur? HiſpanicæMonarchiæ jacta ſunt fundamenta, & quidem brevi tempore. tot felix ille terrarum Prædo Regna & Provincias, armis artibúſque ſuis eſt conſecutus: ita, ut ad inſtaurandum Imperium Hiſpanicum, inclinata & quaſi præparata omnia putentur. Ineffrenem huius Tyranni Ambitionem æqué ferre adhuc juvat? Quid vobis S. Imperii Principes, & maximę Germaniæ Proceres, tandem ſentitis eventurum, cúm Imperio veſtro Hiſpanus hic imperabit? cúm non veſtrum erit imperare, ſed ſervire? S. Imperii Romani dignitas & nomen hunc á limitibus prohibebit? collapſi Imperii reliquiæ & tantúm umbra contra huius ſævientem Tyrannidem vos proteget? Fruſtrá Imperium, & Cæſarem, & Libertatem illam antiquam obtendetis, ubi regnandi Cupiditas, & Ambitionis flamma in veſtram Rempub. aſcendet; ubi terrificum Romani illius Iovis fulmen in vos deſcendet. Vt autem potentia Hiſpaniarum Tyranni nimia eſt, ſic longé maxima, verbis, ſignis bulliſque Plenipotentis illius Pontificis corroborata, eſt futura. Hic, ipſe eſt, qui ſolus in Orbem habet imperium; qui ſolus judicat, & & á nemine judicatur: qui & veſtram Provinciam

Hiſpa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Hiſpanicæ Libidini, Avaritiæ objecit. Sed quid vobis, fortiſſimi Heroes & Principes, in hoc rerum ſtatu, eſt faciendum? Exſpectare, quieſcere, connivere vobis ne expediet? quod remedium, aut quæ medicina ipſi tam tenui & exſangui Imperii corpuſculo, quod vix, ut veſter ſcribit Hiſtoricus, oſſibus hæret, parabitur? quando, & quomodo adhibebitur? Hoc in primis ſciendum eſt; Corpuſculi veſtri morbis in tempore eſſe occurrendum· nam omne in mora periculum eſt poſitum: quæ ſi longior erit, invaleſcent malorum vires, quibus tum ſeró accurrit Medicorum multitudo. Quo jure Maiorum, quo gradu honoris, qua Imperii authoritate, veſtram illam ſuperiorum annorum negligentiam tueri, aut tegere poteſtis? Decet ne Imperii Principes, ut Imperii Fratrem & Electorem tanquam peregrinum deſerant, & alium, ut hoſtem Imperii ejus loco ſuperbientem aſpiciant, ferant? Cur veſtrum Principem Trucceſium, Electorem Colonienſem non defenditis & propugnatis? Cur inveteratum Imperii hoſtem Bavarum, quo olim tota Germania tremuit, non rejicitis, limitibúſque ſuis includitis? Si olim Imperator & Imperii Principes, juſtis de cauſſis, Robertum Bavarum ope & auxilio Caroli illius Burgundionis armatum repreſſerint; jam ne, juſtiſſimis de cauſſis, hic Bavarus inſtructus operâ & copiis Philippi Hiſpaniarum Tyranni, Caroli illius abnepotis, videtur reprimendus? Sed Trucceſium deſerendi ſatis juſta cauſſa videbitur Conjugium. crimen ſiquidem eſt, Epiſcopum, aut Sacerdotem uxorem ducere· nam Papali Maieſtate Conjugia Sacrificorum prohibita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Verúm vobis, ó Germani, Conſtitutioni Pontificiæ de Sacerdotum Cęlibatu, ut & illis temporibus, ſic & hodie non eſt reclamandum? Refert Germanus Hiſtoricus, quód *Hildebrandus, qui Gregorius dicitur VII. decretum de Cælibatu Sacrificorũ, in Germaniam emiſſum ad Epiſcopos, urgebat omnino ſanciri, conſtituta pœna. Clerus autem, uti vocant, & Sacrificorum turba ſtrenué reclamabat, hæreticum vocans, qui tam impium dogma proponeret: Chriſti dictum videlicet eſſe, quód non omnes verbum iſtud capiant: Pauli dictum eſſe, ut, qui non continent, uxorem ducant: iſtum autem, poſthabito Chriſti verbo, & contemta Pauli authoritate, velle homines cogere, ut legitimum & á Deo ſancitum uſum matrimonii projiciant, & turpiſſimis flammis urãtur, & in manifeſta flagitia ruant: ſe potiús ab Eccleſiæ miniſterio diſceſſuros quám á matrimonio. Quum ille nihilo ſecius identidem miſſis internunciis, rem ageret, & acriter inſtaret, Moguntinus Epiſcopus ei morem gerere cogitabat: & primúm quidem leniter ſuos monebat: póſt autem Erphurdæ habito concilio, plané rem conficere volebat: ſed parúm abfuit, quin impetu facto trucidaretur.* Et paullo póſt. *Moguntinus iterum ſollicitatus á Gregorio VII. concilium alterum habet, déque Cleri Cælibatu denuo proponit: ſed eodem modo fuit exceptus ut nuper, inque magno verſabatur vitæ diſcrimine: quare cogitationem hanc omnem ſibi deponendam eſſe iudicabat.* Hęc ſi illis geſta ſint temporibus, cúm Papa ut æquior paſſim coleretur, quid hoc tempore, quo poteſtas & authoritas ut ſacrilega damnatur, futurum putabimus? Si non, ut Epiſcopum Papalem, ſaltem Electorem Imperialem Pontificii Principes hunc agnoſcant. Alii forſan proponent, ſe votis Cælibatus ob-

com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

ſtrinxiſſe. verúm reſpondebitur, quo iure quis obligatus rei, quę cum Iure, Pietate, Natura ipſa, ut docet effectus, pugnat? Notum illud vulgatiſſimum, & ex Iure veſtro Canonico, & ex Eccleſiaſticorum communi ſententia: In malis promiſsis reſcinde fidem; In turpi voto muta decretum: Malum quod promiſiſti, non facias; quod incauté voviſti, non impleas· impia ſiquidem eſt promiſsio, quę ſcelere adimpletur. Præterea, quid ſtultius cenſetur, quám vovere quod ipſe non habes? Vxorem ducere, quibuſdam ſacrilegium eſt; turpiſſimarum meretricum greges alere, quibuſdam res licita eſt, & quaſi indifferens. Scité á Pontifice quodam dictum videtur, quo Ademtas Sacerdotibus uxores, maiore ratione eſſe reſtituendas, affirmavit: & illud antiqui Patris, qui Concubitum cum uxore propria, Caſtitatem appellabat. Sed quo conſilio & fine Papiſticus ille Cælibatus introductus ſit, hic præterire, quám ſcribere, præſtat. Erunt iterum nonnulli, qui Excommunicationem Electoris Trucceſii ratam habẽdam, aut ſaltem timendam eſſe judicabunt. Audite Cæſarem veſtrũ á Benedicto XII. excommunicatum: *Ille*, ut notat his verbis hiſtoria, *Francofurtum convocatis Principibus, gravi habita oratione, de Pontificum injuriis queritur, fidei ſuæ rationem exponit, vetuſtas Imperii Leges profert & explicat: ſimul oſtendit, quám nihil ad Epiſcopum Romanum pertineat Imperii Reſpublica. nam qui de voluntate Principum ſit electus, eum eſſe revera Cæſarem, etiam-ſi nullus interveniat vel Ponti-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

ficis aſſenſus, vel conſecratio: totũ enim iſtud, quandam eſſe cæremoniam, quæ paulatim irrepſerit, & nũc nimiúm aucta ſit, non abſque magno Imperii, tum & dedecore, tum & detrimento. Hæc ſi illa ætate acta ſint, qua adhuc res Pontificia incolumis cõſtiterat, quid hac agendũ qua toto Mundo fraudes & mẽdacia huius ſucceſſoris Petri (qui ſané ſimplex, humilis, pius in Clerum & Principes minimé dominabatur) perſpiciuntur? Sed quæ cauſſa animis veſtris inhæret Pii & Fortes Principes, qua ducti Imperii Principem & Fratrem nõ reſtituitis? Non vos, Pii Principes, qui Veritatẽ Evangelicam amplexi eſtis, cauſſa Conjugii, non fulmina, non tonitrua, nõ poteſtas & authoritas Pontificis movet, quo-minus Imperii dignitati & poſſeſſioni Trucceſium veſtrum reſtituendum putetis. Cauſſam alii ſtatuunt *Negligentiam* veſtrã, ſi modó ea cauſſa ſit; *Diſſenſionem, Imbecillitatẽ* alii; nonnulli *Religionẽ*, quę nõ *Vbique* definita approbat. ó Generoſiſſimi Principes, judicia hęc, quæ quotidię de Imperio illo veſtro cũ dedecore proferuntur, perpendite. *Negligentia* veſtra perpetuam diligentiã, qua Hiſpanus & Bavarus Imperii capitibus inſtat, avertet? *Diſſenſus* animorũ ſolvet nę hoſtium cõjunctiſſimũ conſenſum? *Imbecillitas* veſtra, longo jam tẽpore concuſſa, tandem ne franget inveteratas hoſtiũ vires? *Religionis* illa veſtræ Germaniæ nimia & acerba cõtroverſia, ſuperſtitionẽ & inſignem impietatẽ Romanam excludet? Profectó dum Chriſtũ *ubique* cõtentionibus, diſſidiis, invidiâ ut carnales prędicetis, videte, ne Religionẽ & Regionẽ ubique amittatis. Eadẽ cura & judiciũ, Principes, quod in vobis tempore Frederici III. Imperatoris, non hodie

die locũ tenebit? Noſtis Robertũ Bavarũ, contra Ius pactáque Electionis agentem, á Populo Colonienſi fuiſſe repudiatũ: qui cúm ad Carolum Burgundionẽ propinquum ſuum cauſsâ auxilii petendi contra Colonienſes confugiſſet, á Carolo cõſecutus facilé quod volebat. nec hoc novum erat: nam ille Carolus Burgundio, *cuius regnandi cupiditas*, teſtibus Hiſtoricis, *plané erat inſatiabilis, ſperabat ſe brevi poſſe tempore ſubjicere Agrippinenſes, habiturúmque iter per adverſum flumẽ Rhenum & Moguntiacenſes ditiones aduſque in Alſatiam & Comitatum Ferrettanum; viſúſque eſt ſpem concepiſſe ſe Regnum & Vicariatum Imperii, quæ precibus non impetraſſet, vi armorum poſſe aſſequi.* Nunc illorũ temporum rerum Germanicarum ſtatum cum pręſenti cõparemus. Is autem Robertus Bavarus ille erat, qui Colonienſibus injuſtum bellum inferebat, Imperatorẽ deſpiciebat; qui Burgundionis avari & ambitioſi opem imploraverat, eúmque, pro ope quã laturus eſſet, Advocatum Eccleſiæ Agrippinenſis conſtituerat. Hunc jam avarum Bavarum ferocientem aſpicite Principes. Bellum optatum hic Erneſtus Bavarus Colonienſibus ſemper infenſiſſimus hoſtis intulit; Imperatore contemto, Philippi Hiſpaniarum Tyranni, Caroli illius abnepotis facilé ſibi arma adjunxit. Nec res mira eſt, facilé ſibi ſocia arma Philippi Hiſpani adjunxiſſe; cúm ne minimam unquam ſpe dominandi occaſionẽ rapax Avaritia, & Ambitio Hiſpanorum prętermiſerit. Quas ſpes certas Hiſpanus hac via, ad Germaniæ Libertatem opprimendam, non concepit? Si maiorum temporibus Carolus Burgundio talis in Imperium fuerit, ut conatus omnes ſpe dominandi in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Germanos adhibuerit, quid ambitioſiſſimus, idémque potentiſſimus hic Philippus Orbis Tyrannus, quem non Oriens, non Occidens ſatiare poteſt, in veſtram Rempub. hodie non machinaretur? Caroli Potentia, & Ambitio magna fuit; at Philippi eſt maxima. Scribitur de Carolo, quód nimiúm ſuis tribuit viribus, nimiſque magna & ardua concupivit: verúm huic Orbis-terræ Tyranno, quæ potentia, quę ſpes, quæ demum res magna & difficilis videbitur? ita omnia ſe habere in hoc Philippo videntur, ut id, quod velit, feré conſequatur. Sed quouſque Bavarum, Hiſpanicum hoc mancipium in veſtris finibus ferre conſtituiſtis? Si Caroli olim viribus veſtrâ virtute reſtiteritis, hodie Philippi potentiæ & armis, ex cauſſa longé maiori, ex lege nimirum extremę Neceſſitatis ſuperveniente, occurrere dubitatis? Obſedit olim Noveſium Carolus, ſed poſt longos labores ab urbe diſceſſit: hodie obſedit eandem Philippus; & occupavit: qui, quantúm victor victum, tantúm Potentiâ, Avaritiâ, Ambitione Carolum Burgundionem ſuperat. Illius urbis expugnatione, rerum á Carolo geſtarum memoria, ut puto, excitatur: quæ quaſi ſepultæ permanerent, niſi hoc ipſo facto, ab Hiſpano Burgundionis res geſtæ redintegratæ fuiſſent. atque hoc, magno Imperii Principum bono. Quis nunc hic Bavarus, niſi inimiciſſimus Imperii hoſtis; ambitioſiſſimus, ut ii, quibus cum contraxit, Hiſpani: hic & idoneum Tyranni Hiſpanorum mancipium: libidinoſiſſimus, avariſſimus; qui quinque, aut ſex ampliſſimorum Epiſcopatuum dominiis non contentus, ulteriús progreditur. Hic veſtro S. Imperii Concilio

eſt ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

eſt admittendus? Hic nota conſilia Authoritate proponet; Ambitione, ſua obſervabit: qui & Potentiâ, Tyrannidem ſtabiliet; Proditione, totum tandem Imperium Orbis Tyranno tradet. Hic ne unius Epiſcopatus munere rectè fungitur, qui tot Provinciarũ & ditionum Epiſcopus habetur? Vbi nunc illud Scriptorum genus, quod tot Quotlibetica, Articulos, Diſputationes, Volumina contra *Pluralitatem Beneficiorum* profuderit? ubi nunc illi Doctores, ſive Determinatores, qui concludebant, NEMINEM ſine periculo peccati mortalis duo beneficia poſſe tenere: NEMINEM unum poſſe digné adminiſtrare, aut propriis pro peccatis ſatisfacere: SUPERADDENTEM beneficio beneficium uno oculo Conſcientię privari; plura accipientem prorſus excæcari. Vbi nunc illi Pontifices, qui pinguiores Epiſcopatus dividebant, & Pluralitatem Beneficiorum pluribus argumentis exploſerant. Te forſan avare Bavare Pontificis Diſpenſatione, quam & veſtri Diſſipationem vocant, defendes. contrá obſtant illi ipſi veſtri qui aiunt, NOLI ſequi in captandis beneficiis conſuetudinem periculoſam; noli te per Papæ *Diſpenſationem* excuſare. olim Phariſæi contra avaritiam diſputantem Dominum deridebant, & inſanum judicabant; ſed nunc Dominus ſubſannat eos. Ita tu Bavare mente captus, ut quó Ambitio, Avaritia, & Libido te tuóſque trahat, ſemper ut religioſiſſima & maximé Pontificia propugnetur: vel jocando huiuſmodi vitia improbantis verba eludantur. quemadmodum ſuperioribus annis Romanus quidam Pontifex, qui, olim habitâ licet Quotlibeticâ oratione contra *Pluralitatem Beneficiorum,*

rum, ſupplicãtibus tamẽ hic ille Beatiſſimus Petri naviculæ Sutor beneficia intercipiebat: interrogatus, cur hoc, poſtquam acerbé in Beneficiorum prædatores ſcripſerit, faceret? reſpondit: *Cúm parvuli eſſemus, loquebamur, ſapiebamus, faciebamus ut parvuli; nunc cúm viri facti ſumus, reliquimus ea, quæ ſunt parvulorum.*

Quæ conſilia vobis, ó Principes Imperii, in hac rerum perturbatione potiſſimúm ſequenda? Multa, ni fallor, inter vos conſilia habentur, ſed ea, ut putatis, periculoſa, carent exitu. Bello vos defendere non vultis; quieſcere veró minimé arbitramini. quomodo igitur Metus Hiſpanicæ Servitutis á Repub. tollendus? Miſeria ſumma eſt, cúm malum nec ferre, nec repellere volumus. & veré dictum, OMNEM calamitatem ſuperare, cúm homines nec morbum, nec remedium pati poſſunt. Dum quieſcitis, hęc, ut video, conſolationum exempla & ſententiæ animos veſtros collapſos erigunt: *Fata* viam invenient: *Nunquam* ſatis fidam eſſe Potẽtiam nimiam: *Summis* negatum eſſe ſtarę diu: *Tyrannum* ſenem raró fuiſſe viſum: *Inſatiabili* regnandi cupiditate deceptum fuiſſe Carolum Burgundionem; ſic & hunc Bavarum, ſic Orbis Tyrannũ Hiſpanum Ambitione, Avaritia, inexpleta dominandi Libidine, tanquam mole ſua tandem interituros ſperatis. Vera hæc quidem ſunt, ſi hæc omnia laborando, adhibendo diligentiam ſperemus: á Negligentibus fruſtra exſpectatur bonum, invocatur Deus. Res aſpera eſt, Principes, Hiſpanica Servitus: ſed vos non timetis eam. Immo veró maximé timetis, ſed inertiâ & mollitiâ animi, (ut ipſis inſignis Oratoris & Hiſtorici Romani verbis utar) alius alium

ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

exſpectantes cunctamini : videlicet diis immortalibus confiſi, qui hanc Rempub. in maximis ſæpe periculis ſervavere. Non votis, neque ſuppliciis muliebribus auxiliá Deorum parantur: vigilando, agendo, bene conſulendo, proſperé omnia cedunt: ubi ſocordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores : irati infeſtique ſunt. In veſtris miſeriis, Proceres, Deum, ut Ducem primúm vobis proponite; Mars & Labores veſtri, ut Comites ſubſequantur. SICUT nauta imminentem videns tempeſtatem primúm quidem Deum invocat, ut ſalvus portũ intret; mox tamen, aut contrahit, aut colligit vela ; omniáque, quibus opus eſt, procurat: Ita & nos agere convenit diuinâ manu nitentes; ſed ita, ut noſtras quoque manus & diligentiam operi admoveamus. In tempore, Illuſtriſſimi Principes Imperii navem, in qua omnes eſtis, Prudentiæ gubernaculo ad portum Libertatis conſtanter dirigite : ſin minús, venti & tempeſtates Æoliæ Romæ montibus incluſæ vos obruent : jam naufragi facti, tabulas & bona veſtra prędæ & libidini Hiſpanorum cedere videbitis. Multi quidem in Germania ſunt, qui Pontificii nominis ſtudioſi Pontificis partibus adhęrent : verúm ſi cognoſcant ſe in eadem navi & civitate eſſe, ex qua exitus non datur, fortes ſe Germanicæ Libertatis defenſores contra communẽ Hiſpaniarum hoſtẽ oportet ſignificent. Minimé ignoramus Germaniam Pontificiis fraudibus & inſidiis patere· querelæ enim Libertatis Germanicę multę nimis quotidie prodeũt. Varię ſunt viæ, quibus pręclarus ille oviũ Paſtor Hiſpanicos hircos Germaniæ vineis nocentiſſimos, certis ſignis edi-

tis, alliciet. Aſtant inſuper & quidlibet explorãt emiſſarii Pontificii, Monachorũ genus, quod nomine Divinitatis Ieſu longé ceteris ſe præſtantius venditat, & gloriatur: qui Principum conſilia expiſcantur, referunt, interturbant; qui Principum auribus incumbunt, menſis veró accumbunt. ô Germania, Libertas & Fides tua quám hoſtili modo impetitur! qua quid olim glorioſius, certius & tutius habitum fuit? Impedimenta plurima vobis obſtare videmus, verúm nullum tam grave, quo magis dubitandum ſit extremam illam Hiſpanicam Servitutem, conſilio, armis, viris, equis, á Repub. nõ eſſe repellendã. Bella illa gravia & horrida á Carolo V. Religionis, ut vulgó, cauſsâ geſta miſeriam illorum tẽporum vobis renovant: qua deterriti, hodie ad arma ita convolandum eſſe non cenſetis. Aliud nunc bellum longe omnium graviſſimum vobis, ó Principes impendet: neque tam bellum dicendum, quám, omni bello gravior, tumultus, furor & ſubita Germaniæ oppreſſio & tyrannis. atque hæc mala, niſi in tempore prouideatur, veſtræ Libertati inſtant. Carolus ille V. bellum in Germania tandem duxit: qui, ut Imperatorem prudentem decet, omnia priús conſilio (quod quidem contra voluntatem Pontificis) quám armis experiri voluit. Sæpenumero colloquia, quibus res componenda eſſet, haberi iuſſit; conventus indixit quibus & interfuit. quo modo bellum, quod clamabat Pontifex, ultra annos XXV. diſtulit. Neque tamen Religionis cauſsâ bellum ſe aggredi teſtatus eſt, ſed ad ſpeciem & uſurpationem legitimæ vindictæ rem totam, ut quidam Libertatis Germanicæ amicus refert, adum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

adumbravit: dictitans ad officium redigendos eſſe armis nonnullos Principes & fœderatas civitates, quæ edictis ipſius minús paruiſſent. Explorata illis temporibus Germaniȩ natura & inſolentia Hiſpanorum; quæ, niſi á prudentiſſimo Imperatore refrenata fuiſſet, alias Tyrannidis notas liberæ Reipub. impreſſiſſet. Semper hȩc Libertatis hoſtis eſt, propter innatam regnandi Cupiditatem, & Ambitionē; quæ, Potentiâ accreſcente, omni Tyrannide eſt ſuperior. Alia nunc temporum, rerum & perſonarum facies, qua Romanus Pontifex ut ſemper ſui ſimilis ea intuetur, quæ maximé animi ſui ſententiȩ conveniunt. Tempus hoc apparet, quo ad unius Dominatum & Libidinem omnia ſe habere & quaſi cōponere conſpiciantur: quo Hiſpaniarum Tyrannus induciis cum Turca pactis, Chriſtiani nominis Principes omnes, vel armis, vel inſidiis & proditionibus confidentiús aggreditur. Cauſſa & res huiuſmodi eſt, ut ſub Romanæ Religionis ſpecie, non ſecus, quám olim maiores contra Turcas, Regna Provinciaſque Principum jugo Hiſpanico ſubmittat. Talem demum res nacta perſonam, qualē Perſonatus Pontifex requirere unquam in hac Mundi Tragœdia potuit. Tam egregié hic Philippus Romani Choragi ſignis verborúmque notis reſpondet; ita, ut non á Carolo Imperatore natus, ſed á Tragico illo Chorago & Marranicæ Inquiſitionis Monſtro ſatus & educatus dici queat. hic, aliis modis quám Carolus, Patriam veſtram expugnare ſtatuit. Nihil tam munitum & ſanctum, quod non, ſub Pontificis auſpicio, Hiſpanica Ambitio, & Avaritia lacerare & violare exiſtimat. Hiſpanorum hoſtis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

potentiam & proditiones, Pontificis emiſſarios & inſidias, ſuperioris belli calamitatem & exitum, formidando, quieſcendo effugere poteſtis? Aliæ forſan curæ obſtant, quæ patientiam veſtrã, vel potiús ignaviam comprobent: *Diſſenſiones* nimirum domeſticæ, & Turcarum irruptionis *Metus*. quæ quidẽ gravia & ſuo modo timẽda mala ſunt, ſed omnium graviſſimũ, prçſens NECESSITAS; quç patientiam frangit, fugat ignaviam, & illarum rerum metum diſcutit. Imminet vobis, Principes, Hiſpanus; cuius proditores conſiliis aſſident, cuius incendiarii in veſtra Repub. latitantes, ad Romani Iovis fulminis ictum extra tecta proſilient. & hic ne Orbis hoſtis, in hoc rerum ſtatu, infinitis magis modis, quám ipſe Turca eſt metuendus? Ille ipſe hoſtis eſt, qui hunc in finem cum Turca inducias fecit, ut faciliús Principum Regnis et Orbis prædâ potiretur: Hoſtis ille ipſe eſt, qui ſanctis ſanguinarii Concilii ſui Patribus inductus, longé juſtius eſſe bellum judicat, quod contra Romanæ Religionis hoſtes, quám adverſus Turcas ſuſcipitur. quam ſententiam quoque ferro & flamma tuetur. Illç ipſe hoſtis, qui ut Catholicus dicitur, veſtra Regna jure Catholici Sacrorũ Præſidis ſibi vult deberi. Huic ſatis æqua cauſſa, Romana Religio; qua tanquam Gygis annulo, ad flagitioſiſſima quæque viam ſibi aperit. De hoc, ut crudeliſſimo & ambitioſiſſimo Orbis Tyrãno, quid ſtatuendum ſit ignoratis? Incolumitas & Libertas veſtra omnem ſalutem & libertatem in armis vult eſſe poſitam: adhæc, Celeritate, Principes, veſtra, ut ſummo cõſilio, eſt opus. Moras omnes abrumpite; ad arma conclamate: frangite Tyranni potentiam; ſuccurrite

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

currite vicinis; Ambitionis incendium exſtinguite: depellite ſervitutem, & ejus metum excutite. liberi iam, gaudete, vivite, quieſcite. Exemplo ſit vobis, Mundi Principes, Sereniſſima Angliæ Regina; quæ ut pacis fidiſſima cuſtos, ſic Regni & ſubditorum ſalutis amantiſſima: hæc ipſa Belgis afflictis & oppreſſis Hiſpanorum Tyrannide opem tulit. nam ab Angliæ Maieſtate & hoc proviſum perſpectúmque fuit, ut, ubi Belgæ debellati, Populíque Iura & Libertates ſublatę eſſent, ibi ſuas colonias Hiſpani collocarent (quod cõſilium & finem fuiſſe Hiſpaniarum Tyranno Belgici belli tum acerrimé perſequendi, tum extrema omnia inferendi, per ſe res docet, & Neapolitanorum, pluriúmque Provinciarum exempla confirmant) ingens Maieſtati Regię, ſubditis, Regnóque Anglicano periculum crearetur, niſi iſtorum pernicioſis conatibus, conſiliis quám primúm occurreretur; pręcipué, cúm ab Hiſpano, & Pontifice armis & inſidiis Angliæ Regnum peti manifeſté conſpiceretur. Vos ne, Imperii Principes, Belgicæ Reipub. vicini Reges & Domini, exemplo & ratione expoſiti periculi commovemini? Avaritiam, & Ambitionem Hiſpanorum nondum noſtis? vos, veſtróſque minimé ſalvos vultis? Principum puto eſſe neminem, qui non vigilantiam, curam & ſingularem Sereniſſimæ Anglorum Reginæ ſapientiam admiretur; quæ Rempub. Anglicam, tot ſubjectam hoſtium & Romani Æoli tempeſtatibus, in mediis fluctibus, toties, & tot annos, prudenti conſilio & Heroico plané ſpiritu rexerit. Hæc ipſa eſt, quæ diuturno & deliberato cõſilio, ad vicinos Belgas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

auxiliares quaſdam copias miſerit, *Vt bellis* nimirum finis imponatur; Belgis priſtinæ Libertati & Iuri reſtitutis: *Vt ſecuritas* procuretur ab ipſius Regno oppugnando, invadendo: *Vt Angli* & Belgæ, pro veteri more ac inſtituto, commercia exerceant. Non ſine maximis cauſſis Anglia timet; quę, Belgis devictis & ſuperatis (qui Populus naturâ pacatus, & benignus ſuis Principibus) horum loco Hiſpanos, tam malos, tam iniquos & minimé ferendos vicinos eſſet habitura. Qui quo animo erga Reginam, Regnúmque ſunt affecti, ex ipſorum improbis conſiliis & ſtudiis ſatis liquet; quibus ad hoc uſque tempus uſi ſunt, ad Regni ſtatum & ſalutem evertendam, & tollendam.

Quouſque, Mundi Principes, publicum illum Orbis-terrę hoſtem, Libertatis & ſalutis veſtræ inſidiatorem, ferre decreviſtis? Forté, quid potiſſimúm vobis in vicinorum bellis ſequendum ſit, dubitatis: *Meliús ne ſit medium ſe gerere & quieſcere, An potentiori reſiſtere, Vel huius fortunæ & potentiæ cedere.* In varias & contrarias partes plurima exſtant exempla, quæ modó hanc, modó illam, modó neutram partem, aut probant, aut improbant. Accidit ſæpe, ut is qui victor eſt, ſuſpectos illos habeat vicinos, qui illi incommodarunt; arma, commeatum, aut ſimile earum rerum negaverunt. qua cauſſa ducti, Alterutram eſſe ſequendam partem, putarunt nonnulli. verúm lubrica & periculi plena hæc eſt via· nam ſi vicini ſuperati fuerint, opem ferre non poſſunt, cúm ſuis periculum eſt proximum: ſi victores fuerint, á victis hoſtium loco habebuntur. Qui veró ſentiunt, Vicinorum bellis non eſſe ſe implicandũ, ſed, ut tutiús & glorio-

ſiús,

ſiús, pacem in primis eſſe procurandam, minimé horum ſententia eſt fallax. Quód ſi pacem perſuadere non poſſunt, Neutrarum tum eſſe partium, maximé conſultum: & ne harum prædę obvii ſint, præſtat ut ſe muniant, arma oſtentent; quibus ad vim avertendam paratos eſſe ſignificent. quemadmodum hoc ipſum ſæpius uſitatum finitimis Principibus, cum bellum inter vicinos geritur. atque hæ ſunt ſententiæ, quę variis belli temporibus ut Reipub. ſalutares meritó ampleɛtuntur. Has ſententias & conſilia hodie ne in hoc rerum ſtatu á vobis, ó vicini Principes, obſervanda eſſe judicatis? Pręſentis Temporis, loci, rerum & hoſtis, veſtro bono, rationem habete Principes. De Pace procuranda, eaque impetranda forſan agere vultis: ſin minús, Neutram partem eligendo, belli vicini metum, incommoda, arma oſtentando, effugere proponitis. Duo hæc diligentiſſimé, Principes, perpendite; *An Pacem, videlicet, vicinis impetrare poßitis: ſin minús, An propugnacula veſtra muniri adverſus utriuſque partis irruptiones expediat.* Pacem vicinis impetrare in veſtra non eſt poteſtate: Pace non impetrata, temerarium, ſtultum & Regnis veſtris pernicioſiſſimum, Neutri parti adhærendo, caſtellis & propugnaculis munitis utriuſque partis incurſiones & rapinas velle prohibere. Pacem, Belgis pręcipué, apud Hiſpanorum Regem nec vicini, nec totius Mundi Principes procurare poſſunt; niſi forté eam pacem, quám Servitutem appellamus. quæ quidem Servitutis pax non ſolúm ipſis Belgis, verúm etiam toti Mundo interitum eſſet allatura. Quód Pacem ſuam Belgis procurare non

po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

poteſtis, ſumma & validiſſima hoc vult ratio; quæ eſt, MONARCHIÆ *Cupiditas.* cuius fundamenta ante multos annos Hiſpanica jecit Ambitio. Nihil jam ita, Principes, contrarium Monarchiæ Hiſpanicæ, quám æqua & tolerabilis Pax Belgica: quæ ſi firma & ſtabilita foret (quod nec conſilio, nec ratione ulla, propter inhærentem illam ubique regnandi Cupiditatem ejúſque finem, contingere poteſt) omni tum ſpe regnandi & dominandi in Orbis-terrę Principum Regnis, avariſſimus Hiſpaniarum Tyrannus excideret: Belgicâ veró Hiſpanorum armis ſubactâ, pręſtantioribus ſublatis, in perpetuam jam ſervitutē ipſa redigetur; Hiſpanorúmque coloniis ibi collocatis, certiſſimam tum ſpem invadendi alia Regna ante oculos tenet: nam talis eſt Belgicæ Provinciæ ſitus, qualem Hiſpaniarum Tyrannus ad bellum vicinis inferendum & Monarchiam perſequendam ſemper exoptare potuit. Is enim ſitus eſt Belgii, ut ratione continentis, Oceani, vicinorum Regnorum, potentiæ, opum & munitionum, omnes Mundi partes longé ſuperet. Has non Provincias, tanquam ſedem & arcem Tyrannici Martis, Hiſpanica Libido videtur elegiſſe? quam ſedem & nidum ſi occupaverit, ulla ne ab Hiſpanorum Tyrannide libera regio invenietur? Nulla igitur pax Belgicis Provinciis (Mundi etiam Principibus ut pacis procuratoribus adnitentibus) eſt eventura: nam alioqui omnis præteriti laboris fructus & concepta Monarchiæ firmandæ ſpes huic Orbis Tyranno deperiret. Novit & hoc Populus Belgicus, qui ab Hiſpanis nihil aliud, quám æternam Servitutem exſpectat: á qua per ſe (niſi á Deo extra-

ordi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

ordinariis mediis,vel vicinorum Principum conjunctâ potentiâ ſubveniente) liberari non poteſt. Vos, Principes, qui forſan procuratores pacis haberi vultis, quam utilitatem, aut ſalutem,urgendo & procurando pacem,Belgio,& veſtris Regnis comparabitis? ſané nullam:immo perniciem & interitus celeritatē, tam veſtris Regnis,quám Belgio præparabitis. Nota ſuperioribus tēporibus Hiſpanorum Tyranni praxis? qui ſub curandæ & conſtituendę pacis Colonienſis nomine, contrarias Provinciarum ſententias, ſimúlque proditiones excitabat,& fovebat.quo etiam facto optimé rebus ſuis conſuluerat.Nota ſunt verba & Tyrannicę voces, quibus leges pacis ſuę Libidini reſervare & ſubjicere affirmaverit: quibus Belgium, etiam jacturâ Regnorum ſuorum omnium,ſuę Hiſpanicę poteſtatis facere decreverit. & hodie,cúm Avaritia,& Ambitio Hiſpanorū longé maior,cúm propter ampliſſimas Regnorum prędas captas,tum propter certiorem Monarchię ſpem , pacem ullo modo ęquam & ſolidam ſperatis? Erratis Principes, erratis. mittite illam Hiſpanicę pacis ſpem, qua nihil,tam vobis,quám Belgis eſt periculoſius. Omni jam ſpe pacis abjecta,vos ut muniatis,ut arma vibretis contra utriuſque partis inſultus & direptiones Reipub. veſtræ expediet? expediret quidem, ſi modó ex Hiſpani Tyranni pectore Ambitio illa malorum omnium radix eſſet avulſa; ſi dominandi per omnia Regna eſſet exſtincta Libido ; ſi fracta nimia illa eſſet Potentia ; ſi Proditiones & Inſidiæ Hiſpanorum per totum Orbem ceſſarent. Vobis, Principes, minimé hoc expedit; quia Belgis victis,huic immani Tyranno Regna

veſtra patebunt: ad vos hic veniet; vos vincet. & tum ſubitó cum illo exclamare poterit; Veni, Vidi, Vici. Potentia veſtra, licet ea quoque ſit conjunctiſſima, Hiſpani potentię, Belgis jam ſub jugũ miſſis, minimé par eſt futura. Summum igitur & neceſſarium Orbis-terrę Principibus eſt conſilium (qui modó ſe ſuóſque ſalvos velint) *pro viribus in Tempore Orbis hoſti reſiſtere.* Nullum tempus commodius arma ſumendi, quám hoc Pręſens; quo, Belgis adhuc & Gallis pugnantibus, ab omni parte diminuẽda eſt hoſtium Orbis potentia. *Omnis* ſpes & ſalus veſtra in Armis eſſe debet poſita. *Cunctatione* tunc minimé opus, ubi quies veſtra pernicioſior, quám temeritas: neque hęc ullo modo temeritas, ſed *Neceſſitas*; quæ ignaviſſimum quemque ad arma protrahit. *Externus* Timor publici hoſtis vobis jam ſit firmiſſimum Concordiæ vinculum. Ad hoc, opem veſtram in tempore confirmate; vicinorum amicitiam, ſocietatem, potentiam, ut tutiſſimũ eſſe præſidium, cogitate. Fœdera, non cum Principe unius tantúm urbis, ſed cum Orbis totius Principibus, contrahite: ſin minús, Avaritiæ, Ambitioni, & Servituti Hiſpanicæ vobis eſt ſatisfaciendũ. Nemo Orbis-terræ Principum exiſtimet, belli cauſſam ad ſe non pertinere· nam quó maior Orbis amplitudo, eó Avaritia, & Cupiditas Hiſpanorum ad eum occupandum ardentior. Iure ſummo ſe capere dicet, ubi Hiſpanico jure Mundi Regna invadet. Vbi non ſub prætextu Religionis Romanæ, ibi, ſub occaſionis minimæ & fictæ, vel inclinationis & quaſi debitæ Monarchiæ ſpecie, Regna ſibi vendicabit. Satis juſta cauſſa erit Hiſpaniarum Tyranno, Angliam,

Sco-

Scotiam, Daniam, Suetiam, Poloniam, Germaniam, Germaniam, Galliam hoc prætextu, Quod Romanam Religionem aut rejecerint, aut eo, quo debebant, modo Hiſpanico non propugnaverint (*adverſus quæ Regna*, ut ait, *juſtius & utilius bellum geritur, quám contra Turcas*) imperio Hiſpanorum ſubmittendi. Cetera Regna & Provincias, aut levis offenſionis, aut ſepultæ injuriæ refricatione, aut ſpecie Monarchiæ ſibi á Deo quaſi promiſſæ, ſuis Regnis adjiciet. Hunc, ut Potentiâ nimiâ dominantem, impiâ Avaritiâ omnia deprædantem, ardenti Ambitione furentem, Tyrannide latiús graſſantem, otioſi adhuc aſpicitis? Sed hunc, aut Voluptate, aut Animi æquitate, aut Miſeria ſumma, aſpicere videmini. Otium veſtrum, ó Mundi Principes, vel veſtram voluptatem, vel qualemcunque fortunam, vel miſeriam, ex rerum præſentium ſtatu, ſatis ſignificat. Sed qui Hiſpanicarum rerum proſpero ſucceſſu & voluptate afficiuntur, & hi, qui parati ducuntur ad quamlibet fortunam ſubeundam, tam miſeri ſunt, quám qui miſerrimi· nam quid viro, Principe præcipué miſerius, quám certâ præmiorum ſpe, ad perpetuam tandem duci ſervitutem? quid illâ voluptate calamitoſius, quám qua ad extremam perniciem, præmiorum ſpecie, trahimur? Ideo-ne Hiſpaniarum Tyrannus illos ſervabit Principes, quód eos ſibi ut amiciſſimos noverit? Minimé. obſtat enim Libido, Ambitio, & communis omnium maximorum Tyrannorũ Conſuetudo: qua *potentior Tyrannus* Tyrannos minús potentes eóſque amicos, nõ ſecus, quám bonos Reges & Principes, odio, cæde, tyrãnide perſequitur. Non eſt igitur, quód Principes

illis, qui Hiſpanico ſunt tumore inflati, victoriis Hiſpanorum ſeſe efferant: nam horũ Principum conditio & ſtatus, hoſtium apertiſſimorum ſervitute & ſorte longé erit, ſuo tempore, miſerior. Sententiæ & exempla plurima ſunt, quæ hos Hiſpanicos Principes prudentiores reddere debent, quó tandem Tyrannũ Hiſpanum ut potentiſſimum, animi corporíſque viribus impugnẽt. Quod nunc de illis Principibus judicium ferendum, qui, quaſi nullum diſcrimen inter utramque fortunam ſtatuentes, Ignaviæ ſe tradunt; Hiſpanicæque voluntati, pro temporum lege, ſubjiciendo tutum eſſe arbitrãtur. Vobis ignavis, ó Principes, Hiſpanus furore percitus eſt parciturus? Veſtrarum Legum & Libertatis cuſtodes & cultores ipſi permanebitis? forté permanebitis, ſi modó hoc præfixum habueritis, Tyrannum Hiſpanorũ Bonos tantúm & Malos perdere; Ignavos veró, ſervare, atque beare. ó Principes, turpiſſima illa bellua Ignavia, vos ex Hiſpanici Monſtri obſcœnis faucibus non eripiet. & pudeat aliquando in bello ea nõ noviſſe, quæ in otio & pace vobis diſcenda & noſcenda fuiſſent. Vos nunc, Principes, qui æqui eſtis rerum judices, & Hiſpanorum naturam, animum, finem, res geſtas exploratas habetis, ſemper in umbra quieſcendum eſſe ducitis? nunquid in ſolem, in pulverem vobis progrediundum? pręſtatne ſemel liberari, vel potiús cum laude interire, quám ſemper Hiſpanorũ Tyrannum timere? Miſeriam veſtram ipſi ſummam eſſe ſcitis: & huic remedium ſummum eſſe adhibendum neſcitis? Alii Principes Hiſpanorum fortunam admirantur, & amplectũtur, ſed ſuo tandem malo & interitu: alii, ut

igna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

ignavi, fortunam ſequi conſtituunt; ſed Hiſpanorum Libidini aliquando exponendi. quos in otio hodie vivere hac perſuaſione ductos, mirum nobis eſſe non debet. At vos, Principes, qui prudẽtiâ veſtrâ improbos Hiſpanorũ conatus perſpicitis, cunctamini? Miſerum profectó vobis, peregrinam illã Servitutẽ timere; miſerius, ſemper timere; omnium miſerrimum, ea remedia, quibus á vobis Hiſpanicæ peſtis malum tolleretur, admovere non poſſe. Exſpectatis forſan, Sereniſſimi Principes, aliorum omnium conſenſum, quó paribus tandem ſententiis, ſtudiis & viribus Orbis terræ Prædoni reſiſtatis. ſed fruſtra: nam ſemper huiuſmodi erunt, qui aut Hiſpanorum præmiis capti, aut promiſſis allecti, aut ignavâ ſpe evadendi pericula ducti, veſtra colloquia & conſilia negligent, contemnent, & tandem prodent. Obſtat præterea vobis Romanus Pontifex, qui Ambitioni, & Furori Hiſpanico ſua fulmina adminiſtrat: non minús tamen de defenſione & conſervatione veſtra vobis eſt agendum. Sed Romanã Religionẽ lędi nonnulli opinabuntur, quód Romani Epiſcopi placita nõ obſervent. hi memores ſint, non hîc agi de Religione, ſed Regione; de Catholici Tyranni Avaritia, Ambitione, ejúſque Potentia & Tyrannide infringenda decerni. repetant & hi præteritorum temporũ Ottones, Henricos, Fredericos, Philippos, Conrados Cæſares; Galliarum Carolos, Philippos, Ludovicos; & recẽti memoriâ, Imperatorem illum Carolum V. Gallorũ, & Anglorum Reges Henricos; & Philippũ hunc Catholicũ Orbis Tyrannum, ejúſque fideliſſimum miniſtrũ Ducem Albanũ: qui licet omnes Religionis Romanę eſsẽt tenaciſſimi,

Regionis tamen jus, verbis, ſcriptis, execrationibus, armis acerrimè contra Papam propugnarunt, ſibíque vindicarunt. & vos Principes, qui hodie Romano Sacrorum Regulo tantopere gloriamini, eodem uti jure, in cauſſa longè graviori non decreviſtis? quę-nam hæc temporum iniquitas, qua veſtra conditio eſſet deterior iſtorum Principum ſorte? quam unam & eandem eſſe paſſim, & apud omnes Religio vult Chriſtiana: niſi fortè hodie aliter perſuaſi, Papam imperium, jure Divino, in veſtra Regna & facultates liberè exercere, ſentiatis. Mittite, cultores Pontificii, vana illa Pontificis veſtri terriculamenta; ejúſque fulmina ut bruta & frigida elidite; & iſtorum Imperatorum & Regum exemplis edocti, non jam, ut hi, in Romanum Papam, ſed in publicum Orbis Tyrannum Hiſpanum arma convertite. Sive Deum, ſive Papam, ſive Inferos, ſive Ventrem colatis, Avaritia, Ambitio, & Tyrannis Hiſpanica vobis nihilominus ex omni parte inſidiatur; veſtra Regna jam longâ ſpe ſibi prędæ definivit. Sive boni, ſive mali, ſive ignavi, in navi una omnes eſtis, voraciſſimâ & avariſſimâ Hiſpanorum charybde devorandi. Sive amici, ſive inimici, eodem ordine apud Tyrannum habendi. Qui ſe inimicum Tyranni noverit, longè tutior illo, qui amicus Tyranni dicitur· ſiquidem huius inimicus ſibi cavet; amicus verò ſibi cavere non didicit: & ut Hiſtorici illud uſu comprobatum veriſſimum, Hoc IN PRIMIS malum in Tyranno eſt, ut amicorum etiam fides ſit ſuſpecta. Qui ſe maximè amicos volunt commendatione rerum á Tyrannis geſtarũ, eos minimè ferunt · nam TYRANNI, ut Panegyriſtes,

quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

quantó magis laudantur verarum virtutum nomine, tantó magis vitia ſua ſibi exprobari putant: ac proinde ſe irrideri; unde iraſcuntur. qualis autem Tyranni ira ſit, & quám ea metuenda omnibus, per omnem ætatem exempla ſatis referunt. Quæ tranquillitas, quę pręmia mancipiis Tyranni contingent? Recté á quodam dictum; Tutissimum, quod amicis Tyrannorum contingere poteſt, eſſe Metum: hos á præmiis eſſę alienos; niſi forté Mortem, & Servitutem, ſuo modo, præmia appellemus. Nunc ii qui ſe familiariſſimos, ſtudioſiſſimos & fratres Hiſpanorum Regis dicunt, in Mundi Theatrum prodeant; labores, ſudores, pulveres, cicatrices, vulnera, victricia arma, ſpolia, victorias in Triumphis Hiſpanicis oſtentent, jactent; Regem colant, adornent, adorent; promittant, ſe á Rege quod velint conſecuturos: verúm, qui triumphi, honores, præmia, ordo, locus á poſtremo Hiſpanorum *T*riumpho, his, qui ſe fœderatos, ſocios & fratres gaudebant, decernentur? Feret ne Hiſpanicus Faſtus aliquem exterorum Principum dignitatis gradum? Nullo modo: niſi quis exiſtimet, Hiſpanos jam potentiores & Mundi Tyrannos, malam, eandémque innatam naturam exuiſſe, bonam veró aſſumſiſſe. Si ſemper hi omnem victoriæ laudem, aliorúmque nomen & dignitatem ad ſe totúm rapuerint, tum ne, cúm clariſſimi & poſtremi Hiſpanici *T*riumphi feſta celebranda ſunt, cúm & de honorum & præmiorum fine agendum, peregrinos aliquo loco eſſe admittent? Vos nobiles propugnatores & ſtrenui Athletæ Hiſpanorum Tyranni, quem laborum omnium fructum tandem ſperatis? Te puto

Bava-

Bavare, te Guiſiana progenies, Sabaude, & te Princeps Parmenſis, veſtrúmque illum Romanum Pontificem. Falleris ó Bavare, quód arbitreris tuâ te felicitate, Hiſpanorum fortunis partâ, per longum tempus fruiturum· præter hoc enim, quód Hiſpanus avarus eſt, & nihil quidquam agit gratuitó, eſt etiam alienæ felicitatis invidus, inſolens, ſuos tantúm obſervans: qui nomine & cauſſa tua rem adminiſtrat: qui tua retia, tuo nomine, ſibi tendit; prædam omnem jam captam ſibi capiet, ejúſque diviſionem & ſortem, ut Hiſpanico Leoni convenit, rejiciens. & hoc, quod tibi, quamvis minimum, ſupererit, te gratiâ & liberalitate Hiſpanica, non tam poſſidere, quám habere, prædicabit. Tu avare Bavare, Eburonum Tyranne, tot, & tam ampliſſimos Epiſcopatus, non tibi, non Chriſti, ut aiunt, Vicario, ſed Hiſpanorum Ambitioni, & Avaritiæ acquiſiviſti. Et vos Galliarum Guiſiani, Lotharingi, qui perpetuo vinculo Pontificio & Hiſpanico connexi eſtis, quid tandem vobis omnis labor proderit? Vos hodie celeberrimum Galliæ Regnum perturbatis, miſeré affligitis, Libidini Tyranni Orbis objicitis: cujus miniſtros, arma, viros & vires advocaſtis, & induxiſtis. Victores vos, ſi modó Deus voluerit, Galliæ imperabitis? forſan ad tempus Galliæ imperabitis, atque hoc imaginarié & ficté. ſed veré Tyrannus hic vobis leges feret, metam ponet: vos dejiciet; in vos dominium tandem exercebit. atque hoc ſatis juſta cauſſa docet· nam Hiſpanus, ut naturâ avarus & ambitioſus, ſic potentiâ accedente avariſſimus & ambitioſiſſimus, minimé vobis prædam illam, tam ex Natura ſua, quám ex Iure Leoninæ ſo-

ſocietatis, relinquet. Sumtus illos & aurum illud in veſtrum Regnum collatum, non injuſtiſſimo cum fenore infanda Hiſpanorum Avaritia exigere proponit? hic, qui toties voluptate Galliam capiendi incenſus fuit, jam; cúm hoc Regnum proditionibus laborat, armis commovetur, ſuorum manu obruitur, ſuperbiſſimus & notiſſimus Tyrannus viam hanc illud invadendi præteriret? Et tu Sabaude, Cognationis Hiſpanicæ vinculo te liberū & glorioſum apud omnes judicas? ſané liber non es, ſed magis ſervus, & alterius Libidinis vinculis detentus, neque te, ut tibi, ni fallor, perſuades, ad ſumma Tyrannus ille tuus promovebit: licet huic Frater, aut Filius eſſes, non eó magis ſed multó minús imperium obtinebis: nam vetus hoc eſt; Quó quisque proximior Tyranno, eó odioſior: & pręſertim Catholico huic Orbis-terræ Tyranno. omitto alia. Te feliciſſime Alexander, Parmæ & Placentiæ Princeps, quæ præmia, tituli & triumphi jam excipient? Metus, qui ſemper Tyrannos, ut umbra corpus ſequitur, varia interdum ſomnia Tyrannis immittit, quę veri loco ſæpenumero hi animis infigunt. Tam bonam, quám malam fortunam ſuorum Adminiſtratorū Tyrannus ſemper iniquam ducit. verúm tibi, Alexander Parmenſis, ſub Alexandri iſtius fortuna, Fabii Parma aut clypeo, Marcelli enſe, varia Tyrannorū conſilia & caſus evolvere (modó aliqua ſincerioris illius Itali ſpiritus particula in te inſideat) eſt cogitandū. Et tu demū Papa, ſacrū Romanę Eccleſię Caput, qui utriuſque gladii poteſtate, cruciato ſceptro, triplici corona ſuperbus es, qui te & Regnorū & Regū Patrē cōſtituis, qui Iovem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

&Hiſpanica ſceptra cōcilias, qui Hiſpanis quodcūque eſt Regni ex authoritate & plenitudine veſtræ, ut dicitis, poteſtatis & gratiæ dediſti; quæ tandem præmia tibi ab Hiſpanorum Tyranno ſunt tollenda? Sed præmiis & muneribus externis, qui ſpiritualis Pater es, tua Pietas non capitur: ampla ſatis præmia & dona te adeptum ſuſtinebis, ubi Romanam Religionem per omnem regionem pullulantem, florentem, & veſtro magicæ benedictionis incremento enaſcentem conſpexeris. at ſapientes, & non iniqui tuorum judices, te ſub Religionis ſpecie, ut & Hiſpanus, imperia & opes quærere ſentiunt. Tibi ne præmia Hiſpania dabit? dabit fortaſſe; ſed ea rurſus á te auferet. Tuâ ope Tyrannus Hiſpanus erectus te opprimet. atque hoc futurum, ut hęc vipera, Hiſpanica ſcilicet Tyrannis, latera Romanæ matris perrumpens, ejus viſcera & ilia tandem abſorbeat, & exedat. Ne quis miretur nimiam hanc ingratitudinem· nam Ambitio, Avaritia, & Tyrannis in hoc Orbis hoſte quoque nimia ſunt. Hic Tyrannus, ó Pontifex, victoriâ Mundi partâ, tuis te ſpoliis & Petri, ut loquuntur, patrimonio exuet, & ad Petri externam ſimplicitatem & paupertatem reſpicere coget: ita, ut magis & veriús tum, quám hodie, humilis & ſimplicis Petri Succeſſorem te nominare liceat. Te Caput eſſe omnium, te ſupra Concilium, te á nemine judicari putas: ſed hodie novam illam Romam, Hiſpaniam puto, ante oculos habe; quæ quodammodo Gladios tuos, & Claves, & Clavas é manibus tuis extorquere videtur. Apud Hiſpanos Inquiſitio ne, ut Religionis mater magis colitur, an tua Succeſſio? Tibi illa Inquiſitio ſubjecta,

jecta,an tu Inquiſitioni? Tibi ne ſæpe hæc reſiſtit,ut non tam volens, quám nolens tacité cedere cogaris? legantur & examinentur Acta & Deciſiones Inquiſitoriæ. Hæc illa ipſa eſt Inquiſitio , quæ á Spiritu S. profecta dicitur : cuius principes miniſtri, Patres Fidei appellantur, qui ſanctitate & poteſtate ſtipatores tuos Cardinales longé excedunt. Tu videris Pontifex quem tandem ſerpentem extuleris , & in ſacro ſinu tuo foveris. In ſumma, Qui Tyranno amiciſſimus, tam ipſum , oportet, metuat, quám qui eſt vel optimus, vel peſſimus. Nihil & Tyranno verâ liberalitate rarius: ſi quæ præmia largitus eſt, ea iterum adimet; Mortem & Servitutem præmium interpretabitur. Quæ cúm ita ſint, & tam variis exemplis, quám naturâ Tyrannorum latiſſimé demonſtrentur; quid illis, non dico hominibus, ſed prodigioſis monſtris (quæ vulgó apud Belgas novo vocabulo Male-contenti, ſive Reconciliati vocantur) turpius, deformius, ſtolidius viſum , auditúmque unquam fuit? Vos Male-contenti Hiſpanorum Regi eſtis reconciliati; ad hoc & præmia, ut referunt, exſpectatis. Ficté recõciliati; atque ideo, ut eâdem illâ operâ, qua olim Tyrannicos conatus prohibuiſtis, damnum aliquod á vobis, eâ qua poteſtis parte, Tyranno ſarciretur. hic cúm inutiles vos videat, Morte, id eſt, præmio veſtro omnes afficiet. Huc vos accedite (ſentite & videte rectiús quidem dicerem , ſed vos ſine ſenſu , ſine oculis & mente vivitis) & aures veſtras , Hiſpanicis ſuſurris jam feré obſtructas , præbete. aliquam vobis anteactorum temporum & rerum ineſſe credo memoriam. Veſtra ne conditio Egmondani, Hor-

nani, Bergenſis, Montigniaci futura eſt præſtantior? Sed vos recōciliatos dicitis, illos minimè. At hi quid peccaverunt? quomodo Regis gratiâ probabuntur excidiſſe, pro cujus gratia & privilegio, nomine & dignitate, regione & ſalute conſtanter & heroicè ſemper pugnaverunt? & cùm hos, ut Tyrannicè, è vivis ſuſtulerit, vos, ut obnoxios & ſontes reconciliatos inter vivos eſt ſervaturus? Sed quæ mala juxta Tyranni ſententiam commiſiſtis? hoc ſolummodo Malum, in quo malorum myriades Tyrannus, ſuo jure, ineſſe arbitratur. atque illud Malum hoc eſt, *Quòd Primi* Pacem, non eo modo, quo Tyrannus ſperabat, cum Principe illo Vranio, Hollandia & Zelandia iniviſtis: Vos illi Primi Authores, qui Hiſpanorum inſolentiam hoſtili via coërcuiſtis; *qui*, ut rerum Duces, alios provocaſtis, adhortati eſtis, ut viribus conjunctis, fœdere, Patrię Patre Vranio, Avaritię, & Tyrannidi Hiſpanorum occurreretur. Quod incommodum, quod malum ex hoc negotio Orbis Tyranno obvenit? hoc Maximum, quo nihil (cui ut omnia mala inſunt) eſſe poteſt maius; nimirum, HISPANORVM MONARCHIÆ *Impedimentum*: qui, niſi veſtrâ operâ & pace, veſtris conſiliis, veſtris, inquam, viribus domiti fuiſſent, Belgium jam ante decennium in Servitutem redegiſſent: ex quo loco, tanquam commodiſſimo Latronum receptaculo & caſtello, in longinquas & varias regiones, hodie Avaritia, Ambitio, & Tyrannis Hiſpanorum excurreret, eáſque prædaretur, & Libidini tandem ſuæ ſubjiceret. hæc vos licet ſtolidiſſimi, non repetitis? hæc repetendo, præmia exſpectatis? Quis, obſecro, unquam *T*yran-

num

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

num liberalem, eundémque Hiſpanum ſe vidiſſe prædicabit? hic cúm nulla præmia in bene meritos contulerit, in vos, qui é faucibus Hiſpani *T*yranni prædam Orbis ſurripueritis, eſt collaturus? & cúm nulla vera det præmia, quos non præmiorum ſpecie circumvénit? ô cæca pectora! Vbi Navarrorum Regis decepti ſpes, cui Sardiniæ Règnum ex merito Tyrannus promiſerat? Vbi illi qui pro Rege Hiſpaniarum in Concilio Luſitaniæ Regni ſententiam dixerant? Quæ data præmia? ea quæ *T*yrannis ſunt uſitata, Mortis ſcilicet, aut morti ſimilia; quæ nihilominus ex Gratia & Clementia Regia finguntur procedere. Vos Male-contenti, veſtro malo gaudentes, non Egmondani, Montigniaci, aliorúmque cauſſam, mortem, tyrannicáque præmia memoriâ ſervatis? & illa ipſa judicia & ludibria, quibus hodie vobis Hiſpanus, ambitioſiſſimum animal, aut admurmurat, aut allatrat, non ſentitis? Noſtis ex veſtro Reconciliatorum Ordine primum quendam ductorem in Antverpiana Obſidione cecidiſſe: hic ne deploratores habuit? forſan habuit; verúm non Hiſpanos. hic cúm á ſuis, virtute bellica, laudaretur, laboréſque & caſus pro Rege ab hoc Duce ſuſcepti cúm evolverentur, tum ne Hiſpani cujuſdam vox hoc modo audita fuit, quæ eſt, *Inſignem* illum, ſcilicet, Ducem uno die Regi magis obfuiſſe, quám annis X. profuiſſe potuiſſet? Deinde, cúm vos ſuperbo illo Reconciliatorum nomine jactatis, tum ne Hiſpanorum de vobis ſententia, elato pectore, erumpit? Hæc, quamvis cæci & ſine ſenſu eſtis, auribus tamen licet feré obturatis non immittitis? Si *T*yranni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

miniſtri, hæc, & hujuſmodi de vobis, hoc tempore, quid Tyrannus ipſe, tempore magis commodo, ſentiet? Sed præmia vos exſpectate. quæ nec bonis, nec malis dat, vobis, id eſt, amiciſſimis Reconciliatis, cauſsâ quód huic ipſi Mundi prædam extraxiſtis, eſt daturus? Sæpe Alexander dicere ſolebat; *Vt maximé ſanetur vulnus, quod illatum eſt, manet tamen cicatrix.* ſenſit vir clariſſimus, vulnus facilé quidem ſanari poſſe, ut dolor omnis auferatur: cicatricem tamen, id eſt, injuriæ factæ memoriam ſemper verſari ob oculos. Hæc cúm Alexander ille Magnus, quid Philippus hic Maximus Tyrannus, idémque Hiſpanus ambitioſiſſimus in longé graviſſima cauſſa de vobis Reconciliatis judicabit? Optimis cúm non parcit, vobis parceret? Refertur de Arato optimo Principe, quód hic Philippo Macedonico erat familiaris; qui poſtea á Philippo venenum ſibi eſſe propinatum ex vomitu intelligens, hac tandem voce proloquitur; *Hæc præmia ſunt amicitiæ Tyrannicæ.* Et tu Philippe Hiſpane, quæ tu venena tuis amicis, tuis viſceribus, ô dirum, non confeciſti, propinaſti! quas mortes non intuliſti! quæ atrocia ſcelera non perpetraſti! Et quę tandem tibi ipſi, Tyranne, felicitas & tranquillitas continget? Te multi feliciſſimum, at tu te ipſum infeliciſſimum, oportet, judices. Potentia tua, Libido, Avaritia, Ambitio tua vitæ animíque tranquillitatem conſequentur? Veré ne illi judicant, qui te maximé ridiculum, odioſum, miſerum exiſtiment? Ad maiora cúm aſpiras ambitioſé, ridiculus; ea cúm conſequeris, odioſus; ſpe cúm falleris, miſerrimus habendus. Quęnam beatitudo & felicitas in Tyrannide? Nunquid

Tyran-

Tyrannus, quó magis potentiam, eó magis timorem auget? plures cúm timere cogitur, tum-ne felix appellandus? Veriſſimum hoc eſt; *Neceſſe ut multos metuat, quem metuunt multi.* Neceſſe & jam eſt, ut fateamur te eſſe potentiſſimum, Mundi unius Tyrannum: ſed & alterius Mundi Aſiam, Africam, Europam totam Imperio tuo adjicias; Moderatio animi cúm non adſit, longé miſerior dicendus. Mundi totius ubi victor & Dominus fueris, á ſerva illa tua Ambitione victum & ſuperatum fatere. Satis jam tibi magna pœna & infelicitas, etiam in media illa tua felicitate, *Hiſpanica illa avariſſima eſt* AMBITIO: quæ & Terræ & Cœli, ut ita dicam, Imperio nequit eſſe contenta. Sed tu Orbis-terræ Tyranne pœnas & exitus Tyrannorũ non formidas? Sed tibi, qui toties ſoles ad arma, ad vaſa jam cõclamandum: Orbem-terrę dum quæris, terram, ad menſuram corporis tui, ut reſpicias, vult Tempus. Hæc ſint, quæ hîc dicta ſufficiant· ſapientibus ſiquidem uno verbo multa ſcribuntur: ſtolidis ſcripta ſunt ſatis; aliis minimé· nam STULTIS & Pertinacibus ne certiſſima quidem, ut hæc ſunt, perſuaderi poſſunt.

SEreniſſimi, Illuſtriſſimi Reges & Principes, Liberæque Reſpub. omnes, Videte quo in loco hodie Orbis-terræ ſtatus conſiſtat: quo nunc modo ad unius Hiſpani Imperium & Dominatum variæ Orbis regiones ſeſe componant; quo & modo unius huius ortus, aliorum omnium ſit interitus. quid Hiſpanus attentet, moliatur, exſequatur, & tandem obtineat, om-

nes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

nes conſpicitis. Duo hæc conjuncta, & ſumma, Viri Principes, conſiderate, Hiſpanorum, videlicet, ſolúm Tyrannicé dominandi Cupiditatem, & Felicitatem; veſtram Miſeriam, & Neceſſitatem. Solúm regnandi Cupiditate Hiſpanorum animus annos jam feré centum incenſus fuit. neque mirum alicui videri debet, Hiſpanum, ex hoc tempore, tam florentiſſima & opulentiſſima Regna, tam ampliſſimas fortunatorum Terras ſuo dominio & imperio ſubjeciſſe: nam Hiſpani Avaritia, & Ambitione tanquam Dominis ducti, capti & excæcati, ſemper operi & fundamentis Monarchiæ, omni labore, vi viáque inſtiterunt. eſt autem Avaritia, ut Sapientes, *Improbitatis omnis Metropolis*; Ambitio veró, *Malorum omnium Elementum*. Nulla Gentium natura Avaritiæ, & Ambitioni, ipsâ Hiſpanorum Naturâ, eſt facilior: Nullum malum Ambitioni vicinius *Tyrannide*. Videte, Sereniſſimi Principes, Tyrannum hunc Orbis-terræ avariſſimum ſuo Mundo & Regnis exſultantem, victoriis ſuperbientem, furoribus & Tyrannide ſævientem: qui in Machiavelli aut Tarquinii ſchola natus & educatus, Magiſtros omnes ſcientiâ & regulis, Tyrannos ſuperiores habitu & dexteritate lõgiſſimé antecellit: qui Iura, Leges, Libertates dominandi cauſſâ ſuſtulit: qui R. Pontificis Diſpenſatione vivere, perjurare, fidem fallere ſanctum eſſe duxit: qui caſtella & ſedes Tyrannorum in liberas Reſpub. contra Privilegia & Ordinum conſenſum, jecit, peregrinis, id eſt, Hiſpanis earum cuſtodibus: qui præſtantiſſimos regionis abſque juris ordine, impié occîdit: qui, deſpectis Ordinibus, quod volebat, exigebat: qui avariſſimum &

ſan-

ſanguinolentiſſimum hoc Inquiſitionis Monſtrum in fortunas, conſcientias, vitas ſubditorum produxit: qui, Ordinum loco, monſtroſos Inquiſitionis Epiſcopos induxit; eóſque Abbatum & Eccleſiaſticorum bonis objecit: qui Supplices crimine Læſæ Majeſtatis accuſavit, Senatum Sanguinis ſummum inſtituit: qui leges Pacis rumpere juxta libidinem ſuam poſſe affirmavit; Humanitatem, Scientiam profligavit; Peregrinationem, exterarum regionum Mercatum, Habitationem prohibuit: qui Conjugem repudiavit; repudiatam ludibriis expoſuit: qui Vxorem non ferens veneno necavit; Filium æquiús ſe patre gerentem é medio tulit: qui ut Inceſtuoſus libidinatus eſt: qui ex ſcelere Præmia & Nobilitatem ignobiliſſimo & ſceleratiſſimo cuique pollicitus eſt: qui vicinum Regnum, quod ſub Iudice erat, vi cepit: qui longo Tempore cum Turca Inducias, ad Orbis prædam faciliús venandum, inivit: qui Mauritaniæ Regem hoſtem, ut Luſitaniæ Regi ſuas copias non adjungeret, certiorem fecit; hac via acriús ut Maurus inſtaret, qua & vinceret, admonuit: Sebaſtianum, Fidem non ſervando, ſine milite Hiſpano dimiſit: qui per Legatos Regem Maurorũ, propter inſignem illam victoriam á Sebaſtiano cognato ſuo partam, ſalutavit: qui & infinita hominum millia in Novo Orbe cum voluptate delevit: qui Venena Angliæ Reginæ præparari, propinari curavit; Percuſſores adhibuit; mille demum artibus, ad illud Regnum ſibi invidioſiſſimum per Hiſpanica mancipia perturbandum, eſt uſus. brevibus, nihil, niſi Hiſpanicam virtutem, id eſt, Tyrannidem ex infanda illa Avaritia, & Ambitione con-

L gluti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

glutinatam, tutum reliquit. Talis nunc eſt, ó Mundi Principes, hujus Tyranni Orbis-terræ fortuna & felicitas, qualem ſuperiorum ætatum Principum aut Tyrannorum unquam conſpeximus. Longé latéque dominati ſunt olim Græci, & Romani; longiús & latiús hodie Hiſpani. Videte hujus Tyranni Hiſpaniarum opes & potentiam: Novum hic Mundum, cujus nullus adhuc terminus eſt, occupavit; incolis deletis, Hiſpanorum coloniis diductis, ſibi proprium & perpetuum eſſe voluit: Fortunam rerum dominam hoc in Mundo vagantem, fortunatiſſimus Terræ Mariſque Prædo ſuæ fecit poteſtatis: quæ tanquã famula, flagitioſiſſimas Tyranni cupiditates per totum hunc noſtrum Mundum ſequitur. Novum, inquam, hic Mundum cepit, coloniis ſuorum obſedit, ſtabilivit. neque jam erit quód proponamus, quemadmodum olim, ad extenuandam Hiſpanorum potentiam, videlicet, Hiſpaniam Indicis Navigationibus exhauriri. Abſint nunc hæc verba: nam hodie Hiſpanus ex coloniis Indicis colonías in Indiam ignotáſque terras deducit: qui nunc hoc molitur, ut in Europam vires ſuas exerat, viróſque ſuos & milites inducat. Tenet hic Orbis-terræ Tyrannus Fortunatas Inſulas, Hiſpaniarum inter ſe ſocia Regna, florentiſſimum Luſitaniæ Regnum, ejus Inſulas, Sinus, Portus, Stationes Africani litoris: Adjacet & his Navarræ Regnum; quæ omnia hîc inter ſe vinculo copulantur; & ut conjunctiſſima, vires, opes & potentiam ſummam conſtituunt: qua Aſiam, Africam, Europam facilis expeditionis bello laceſſere, urgere poteſt, Poſſidet præterea nobiliſſimum & ditiſſimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Regnum Neapolitanum, fortiſſimum Regnum Siculum, munitiſſimum conſtantis Martis Aſylum Mediolanum, ejúſque potentiſſimum Mundi Ducatum: quæ Regna & Propugnacula Hiſpanicæ Libidinis, & Tyrannidis, arma vicinis Regnis & Rebuſpub. ſuo tempore inferent. Obtinet Burgundiam, Galliæ, Helvetiæ, Italiæ proximam: Belgium totum jam feré ſibi ſubjugavit; diuturnis bellis concutit, potentiam frangit quotidie: quod ſi ſub jugum Orbis-terrę Tyrannus miſerit, quam horrenda tum rerum, Regnorum & Mundi facies, ó Principes, oculis veſtris obverſabitur. Ex hoc Belgio, ut ſede & receptaculo, inclementes & feri hi Mauri jacula ſua in Angliam, Scotiam, Galliam, Daniam, Germaniam torquebũt; totúmque Mundum, uno tum flammæ impetu, domare & obtinere contendent. Cognoſcite iterum, Principes, commendatum Hiſpanorum belli adminiſtrandi modum, quot habeat Tyrannus milites, quid valeat ærario, quos habeat ſocios, putá Bavaros, Guiſianos, Sabaudos, & ſimiles, quem amicum Pontificem, quos Cardinales, quos Epiſcopos, quos emiſſarios, quos exploratores, quos ſtipendiarios, quos demum Principum proditores: Leges, fœdera, conſuetudinem, exempla Hiſpanorum inſpicite: Laborem, ſtudium, curam, vigilantiam, inſidias, perpetuáque arma, in primis Avaritiam, Ambitionem, Tyrannidem, Hiſpanicámque Monarchiam obſervate.

Summũ jam eſſe tempus, Principes, ſentitis, quo Libido, & Tyrannis Hiſpanorum ſit reprimenda: ſummam miſeriam, illud præterire, ignorare. Belgis, Gallis contra publicum Orbis hoſtem adhuc pugnanti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

bus, ad arma conclamate: quibus ſubactis magis vos tum metus Servitutis dejiciet, quám Libertatis ſpes eriget. Iam, hoc tempore, vobis omnibus Principibus, etiam Orbis Tyranno amiciſſimis, qui modó ſe ſuóſque ſalvos velint, adverſus hunc hoſtem eſt vigilandum. Nihil jam vobis tutum, niſi quod vi poſſideatis. Veſtros ad pugnam accendite: Armati armatis ſtabitis; virtute hodie pares, ſed Neceſſitate longé ſuperiores. Externus hic cōmunis hoſtis vobis adoriendus, mittendus domeſticus, ne utrumque Accipiter hic Hiſpanicus dilaniet, & devoret. ó Germani Principes, quo in loco hodie Imperium ſit veſtrū, ſcitis; quibus conſiliis, armis, viris viribúſque ſuccurrendum ſit, neſcitis? Avariſſimus Bavarus Hiſpanicâ hirudine inhæret veſtro Imperii Corpuſculo, quę reliquum, quod ineſt, ſucci & ſanguinis extrahit. hunc ne Bavarum Imperii hoſtem habebitis? armis cogetis? Imperii finibus ejicietis? Rhenum nobile illud flumen, vitalem ſcilicet illam venam veſtri Corpuſculi jam quaſi obſtructam Germanorum Medicorum multitudine non reſtituetis? Sponſam illam Clivenſem ingemiſcentem, á libidinoſis laſcivientium Maurorum & Gaditanorum oculis, Imperialis veſtra gravitas tandem non liberabit? Hanc Dominam ubi Hiſpanicus Mars compreſſerit, huius tum ne Dominæ Famulæ Libidinem Hiſpanorum ſequi compellētur? Hi ipſius Libidinis æſtu furentes & veſtris præſtantioribus Dominis non inſilient? Harum compreſſio, quæ non veſtræ Libertatis impreſſio? Belgis Gallíſque, ó Mundi Reges, hodie à vobis in tempore non eſt ſuccurrendum? veſtrę veſtrorúmque

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

que ſaluti maturé non conſulendum? Hiſpano Orbis-terræ Tyranno, qui nunc ad Europam domandam omnes vires convertit (Novo Orbe Hiſpanorum jam coloniis obſeſſo) omni via non occurrendum? Quare ſalutem, LIBERTATEMQUE veſtram propugnate; LEGESQUE *veſtras, ſecundum quas* REGES *&* PRINCIPES *eſtis*, adverſus omnem Tyrannidem defendite. & hoc memineritis, MELIORIBUS *ſemper auſpiciis defendi, quàm eripi* LEGUM LIBERTATEM.

PLATO.

Tyrannus, quantumvis felix, eſt bono Rege, quantumvis infelice, miſerior ſeptingentis viginti novem partibus, id eſt, infinitis modis.

NUNQUAM FELIX, QUI INIUSTE AGIT.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Ad Orbis-terræ Principes
LIBERTAS
PUBLICA.

FErte Viri, ſerte Arma Viri; ſtate agmine denſo:
Imperii Murus, CONSILIA, ARMA, VIRI.
Nunc opus eſt Ducibus, non ſemiviro Comitatu:
Res vires totas exigit atque viros.
Iure omnes timeant qui ſe vult eſſe TIMORI
Omnibus. hinc omnes cogat ad Arma TIMOR.
PRODIGUS *hic, aut eſt cognatus* PRODITOR, *Orbis*
Cui non, indomitus, terror & horror, IBER.

NUNQUAM FELIX, QUI INIUSTE AGIT.

Callidius Campanus, Caruo.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 779